



## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de  
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,  
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Tract. VII. De hæresi Pelagiana & Semipelagiana, præambulus ad  
tractatum de gratia,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)



## TRACTATUS SEPTIMVS.

DE HÆRESI PELAGIANA,  
& Semipelagiana, praeambulus ad Tractatum  
de Gratia.

AMICO LECTORI.



I publici juris librum facio, in quo præcipuam ejus partem de auxiliis desideres, non est cur me male fidei arguas, LECTOR BENEVOLE, cum ea causa sit, ut neque tu eam partem à me sperare debeas, neque ego etiam flagitanti concedere possim. Post agitatam eam questionem inter utramque familiam, & Societatis & nostram, in Congregatione de Auxilijs, utrique parti silentium indictum est, ut Romanae Sedis judicium expectaretur. Ego summis Pontificibus parere, religionis partem esse existimo; neque inuitus in argumentum & meae, & Thomisticae Scholae observantiae, in ea questione sileo, in qua litteratorum hominum, quibus hætenus à me edita, etiam ultra spem accepta fuerunt, laudent aliquam & plausum forsitan sperare potuissem. Memini ejus quod libro 1. Regum cap. 14. scribitur, & in aliena sorte meae imaginem vidi. Pugnabat olim Hebraeus populus sub Saule Rege & duce, qui laborem pugnae duriori hoc imperio cumulaverat, ne quis confectas vires cibo repararet, cum fortè per agros fugientes passim milites sternens, in apertum campum & saltum venit, quem ingens mellis copia impleverat. Inuitabat, ut puto, parata sine sumptibus mensa; sed tantum in fatigatis & oppressis belli pondere studium parendi valuit, ut ne libato quidem in transitu melle, & inedia, & laboris tedium superaverit. Ea res mihi contigit, dum toto hoc Tractatu, Clypeo meo tectus, Thomistica doctrina impugnatores, in hoc litterarum & ingeniorum certamine, sequerer, in eam partem veni, in qua tantam ex Scripturis, Concilijs, Patribus, mellis copiam mihi comparaveram, ut in cæteris partibus, etsi eas abundè pertractassem, jejunus tamen ac sterilis videri possem. Compellebat me ad scriptionem tanta rerum copia: sed memini vetitum ne quis ex eo favo decerperet. Abstini igitur, & eam mellis copiam sui alveoli comprimere, quandiu erit educendi negata facultas. Utinam par utrinque servata fuisset fides, & erga Sedem Romanam reverentia, non prodisset Francisci Suaris opus de Auxilijs, quod post iteratam prohibitionem editum est, & post negatam bis à Summo Pontifice Paulo V. facultatem, ab Eminentissimo Cardinali Burghesio, nomine Auctoris petitam, ut Montezino, Sylvius, & alij referunt.

Interim cæteras hujus Tractatus partes diligentius ut pertractem enitar, alterius desiderium compensaturus; cum etiam æquissimum sit, ut quidquid in nobis est vi-

Tomus IV.

A

rium, in Gratia commendationem impendamus, cui si quid in nobis est acceptum debemus. Hæc omnis est Christiani census, hæc quæ mortalem hominem cæli municipem facit; cæleste semen, quo in Deum transformamur, quantum quidem Divinitatis lineamenta fragile lutum capit. Si ve alij candidum intemeratæ Virginitatis lili-  
*Serm. 2. de ver- bis Apo- stol.*  
 um, si ve immarcescibilem martyrij palmam, si ve purpuream humilitatis violam ferant, Gratia pluvia est (inquit Augustinus) & benignissimus imber, quem propitium cælum effundit, quo fecundus, suâ sponte sterilis naturæ ager, hos flores emittit. Sicut enim (ait Chrysostomus) aqua, cum unius sit speciei, vario modo operatur, dealbans in lilio, rubricans in rosa, purpurissans in viola; ita Divinus Spiritus, ejusque gratia, quæ aureum imbrem superat, licet una & simplex qualitas sit, varios tamen ac mirabiles in nobis operatur effectus. Imò, subdit Augustinus, Tolle gratiam, quid est Christus, nisi homo? Sed quid homo, cujus nativam humilitatem gratia suo splendore non tegit aut ornat, nisi leve fortune ludibrium? cui malitia naturalis, Sapient. 9. quem ad omnia flagitia natum, indignata natura projecit, & qui indignâ repensatione in opprobrium naturæ vivit. Sed quid homine majus? qui ad eam magnitudinem, gratiâ præeunte, comitante, & sequente ascendit, quam ipse vix capiat, licet toto orbe major; & quâ minus est quidquid cælum tegit, licet Consulum fuscæ, sceptræ, Aquilas, & quæ nec immensa hominum cupido optare potuit, cumulatæ: gratia namque unius hominis, superat bonum totius naturæ (ait Angelicus Doctor) ut neque par sit aut Regum aut Imperatorum Majestas: nemo enim sapiens, nisi fidelis, nemo major nisi Christianus, inquit Tertullianus. Cui demum gratia indulget, quem tantâ contentione ad summum magnitudinis fastigium deducit, ut quod in argumentum Divinitatis Deus ipse Exod. 3. Ego sum qui sum, hoc etiam homo ejusdem participatione naturæ audeat: Gratiâ sum id quod sum. Ea est Gratiæ dignitas, quam Schola Thomistica docet (AMICE LECTOR) nemo enim est qui dignius unquam de Gratia senserit Angelico Doctore, ut nemo est cui gratia plura contulerit.

Porro cum plura quæ dicturi sumus in Tractatu de gratia, ex plena & perfectâ cognitione eorum quæ olim in Pelagianis & Semipelagianis damnavit Ecclesia, omnino pendeant, priusquàm de gratia differamus, & ea quæ S. Doctor à questione 109. usque ad 114. tradit, exponamus, brevem de Pelagiana & Semipelagiana hæresi Tractatum hîc inferendum esse censuimus.



# DISPUTATIO PRIMA

## De Hæresi Pelagiana.

**N**ON intendimus hic ea quæ ad sufficientiam & efficaciam divinæ gratiæ, aliasque controversias, ad Tractatum de auxilijs pertinentes, spectant, resolvere; cum hoc à Summis Pontificibus Paulo V. Urbano VIII. Innocentio X. & Alexandro VII. severissimè cautum sit: sed ea tantùm quæ ad Pelagianæ & Semipelagianæ hæresis historiam pertinent, breviter discutere; ut expulsi errorum nebulis, veritatis catholicæ radius, & divinæ gratiæ splendor magis effulgeant.

### ARTICVLVS PRIMVS.

#### Origo Pelagianæ hæresis describitur.

**I.** **E**tsi aliqui existiment Pelagium fuisse primum inter hæreticos, qui gratiæ Dei efficaciam & necessitatem sustulit; idque videatur innuere Vincentius Lirinensis in libro adversus hæreses, ubi ait: *Quis unquam ante prophanum illum Pelagium, tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrij, ut ad hoc in bonis rebus per singulos actus adjuvandum, necessariam Dei gratiam non putaret?* Veruntamen certum est, multò ante Pelagium difficultates istas de gratiæ & libero arbitrio incepisse. Nam, ut omittam Judæos, qui, ut ait Augustinus, *Per legem justificari arbitrabantur, sufficiente sibi ad eam custodiendam libero arbitrio;* Unde Apostolus (ut notat idem S. Doctor) gratiam Dei in suis Epistolis adeo extollit & commendat, ut predicator gratiæ appellari meruerit, propter Judæos qui de lege gloriabantur, & libero arbitrio legem sufficere arbitrabantur: omisiss, inquam, Judæis, ad legem Moysis pertinentibus; initio nascentis Ecclesiæ, & in ipso ortu legis Evangelicæ, Simon Magus in disputationibus habitis cum D. Petro, Apostolorum Principe, ex efficacia divinæ voluntatis & gratiæ liberum nostrum arbitrium negavit, ut refert S. Clemens lib. 3. recognitionum. De quo videri possunt quæ in Tractatu de prædestinatione, ex Reverendissimo Patre Libelli, Sacri Palatii Magistro, retulimus, & de verbo ad verbum transcripsimus. Item Clemens Alexandrinus, qui floruit anno 204. lib. 5. Stromatum initio scribit Basilidem, Valentinum, & Marcionem, asseruisse hominem per naturæ vires posse credere, bene operari, & salvari. In hoc tamen errore impugnando non sunt immorati Patres qui illo sæculo floruerunt, & contra illos Hæreticos scripserunt: quia circa alium errorem, quo illi Polytheismum, seu Deorum multitudinem moliebantur introducere, quique tunc majus illis negotium facessabat, erant intenti.

**2.** Basilidi & Valentino successit Origenes, qui eundem errorem de sufficientia liberi arbitrij, ad bene operandum sine gratiæ, renovavit, dixitque Deum dare nobis ut possimus, non autem ut velimus & agamus; sicut refert D. Thomas 3. contra Gent. cap. 89. ubi sic ait: *Quidam non intelli-*

Tom. IV.

**A** gentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque præjudicio libertatis, conati sunt has auctoritates male exponere, ut scilicet dicerent quod Deus causat in nobis velle & perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem sic quod faciat nos velle hoc aut illud: Sicut Origenes exponit lib. 3. Periarchon, liberum arbitrium defendens contra auctoritates prædictas. Unde Origenem primum, aut saltem præcipuum Pelagianæ hæresis architectum fuisse, plures existimant, & satis apertè colligitur ex D. Hieronymo Epist. ad Cresiphontem, ubi alloquens Pelagium, ait: *Doctrina tua Origenis ramusculus est:* & in præfat. lib. 1. Commentariorum in Jeremiam, Grunnium (quo nomine Rufinum Origenis discipulum & sectatorem indigitate solet) præcursorem Pelagij nuncupat. Ab eodemque Rufino se audivisse, non traduci peccatum originale, affirmavit Celestius, Princeps Discipulorum Pelagij, in judicio Episcopali Carthaginensi, in quo fuit damnatus, & ab Ecclesia Carthaginensi expulsus, ut refert Augustinus lib. de gestis Pelagij cap. 22.

**C** Ex illorum ergo Hæreticorum sæce ac cineribus Pelagianæ hæresis, ut virulenta vipera, proslivit, & obstetricante manu Diaboli, eductus est coluber ille tortuosus, qui totum gratiæ Dei spiritum, morsu venenoso extinguere conatus est.

Fuit autem Pelagius natione Britannus; unde à Prospero in carmine de ingratis, *Coluber Britannus*, appellatus est. Vel ut magis placet D. Hieronymo, præfat. in 3. lib. in Jeremiam, Scotus: *Lairat* (inquit) *per Alpinum canem* (Celestium scilicet ejus Discipulum) *grandem & corpulentum, habet enim originem Scotica gentis de Britannorum vicinia.* Professione fuit Monachus, ingenio præstanti & acuto, eloquioque facundus, ut sæpe affirmat D. Augustinus; idque satis testantur tum ejus Epistola ad Demetriadem virginem (quæ habetur inter supposititias D. Augustini) tum quædam scriptorum ejus fragmenta, relata & refutata ab eodem S. Doctore variis locis. Quare minus assentior D. Hieronymo, qui in Epistola ad Cresiphontem, præfixa tribus libris Dialogi adversus Pelagianos, & lib. 2. ejusdem Dialogi, & in præfat. libri 1. Commentariorum in Jerem. ejus ingenium despicit, & tanquam loquendi imperitum deridet.

Moribus etiam illum adeo fuisse probum & religiosum, ut pro sancto, & in virtutibus Christianis eximie præfecto haberetur, testatur S. Augustinus lib. 3. de peccat. meritis cap. 1. his verbis: *Post paucissimos dies legi Pelagij quadam scripta, viri, ut audio, sancti, & non parvo provectu Christiani.* Idemque confirmant aliqui ex Epistola 4. Chrysostomi ad Olympiadem, ubi sic ait: *De Pelagio Monacho magno dolore affectus sum. Cogita igitur quot quantisque coronis digni sint, qui forti animo in acie steterunt: cum viros tam pios, ac sanctos, tantæque tolerantia vi-*

A ij

Quamvis alij existiment Pelagium illum, de quo loquitur Chrysostomus, non fuisse hunc hæresarcham, cujus errores describimus: quia (inquiunt) hæc Epistola Chrysostomi scripta fuit anno Christi 401. quando in exilio versabatur, ut patet ex ejus lectione; Pelagius verò adhuc famâ sanctitatis florebat anno 413. quo anno libros de peccatorum meritis scripsit Augustinus, postquam anno superiori 412. Celestius apud Carthaginem in Episcopali judicio excommunicationem meruisset, ut ipse ait lib. 2. Retract. cap. 33.

5. Sed quidquid sit de hoc: intimius Pelagij mores perspexisse videtur Isidorus Pelusiota, magni illius Chrysostomi discipulus, qui Monachum agens in Oriente, & Pelagij etiam Monachi actiones pressius examinans, easque ad stateram appendens, invenit minùs habentes, nec auri fulgorem esse quod exterius aliquando in Pelagio asfulgebat, sed aurichalcum: unde vagum ejus animum de monasterio in monasterium avolantem, & deliciis ac vitæ molliori inhiantem, ac nidorem carni, & ventris obsonia appetentem libro 1. Epist. 314. his verbis describit: *Tibi ingens annorum turba cantitatem innoxia, & tamen rigidum atque inflexum animum habes, ex alio monasterio ad aliud subinde migrans, atque omnium mensas perscrutans & explorans. Quamobrem si tibi carni nidor, atque obsoniorum condimentum cura est, is qui magistratus gerunt potius blandire, atque urbium caminos vestiga; neque enim homines Eremitæ, facultates eas habent, ut te quemadmodum tibi gratum est excipere valeant. Idipsum testatur Orofius in Apologia, ubi de Pelagio loquens, ipsum Monoculum appellat, & cutem suam paulo magis curasse, quam Monachum deceret, affirmat. Et certè non potuit inimicus gratiæ, ventris non esse amicus, & qui gratiæ Dei non curabat stabilire cor, escis carnalibus non inhiare; gratiæque spiritui contumeliam faciens, consequens erat, ut malè blandas carnis delicias effusè quæreretur, ac de numero eorum esset, de quibus ait Apostolus ad Philip. 3. *Quorum Deus venter est*; quia nimirum in ventris deliciis, & carnis voluptatibus, ultimum finem constituunt.*

## ARTICVLVS II.

*Varij status Pelagianæ hæresis recensentur.*

6. **Q**ui accuratius SS. Patrum volumina scrutati sunt, varios Pelagianæ hæresis status seu gradus distinguendos esse censent. Primus fuit veluti Ethnicismus à Philosophis acceptus; in quo Pelagiani, nullâ factâ mentione gratiæ, naturam hominis sufficere dicebant ad quæcumque opera virtutum exercenda, ad servanda omnia Dei mandata, & vivendum sine ullo peccato, ac denique ad veram & æternam felicitatem consequendam. Unde Pelagius Epistolâ ad Demetriadem nobilissimam virginem cap. 2. sic ait: *Quoties mihi de institutione morum & sanctæ vitæ conversatione dicendum est, soleo primò humane nature vim qualitatemque monstrare, & quid effici possit ostendere, ac jam inde audientis animum ad species incitare virtutum, &c. Optima enim animi incitamenta sunt, cum docetur aliquis posse quod cupiat.*

7. Hunc Pelagij errorem variis in locis reprehendit ac detestatur Augustinus: nam lib. 3. contra Julian. cap. 2. hæc scribit: *Natura ista in tantas & tam manifestas collapsa miseras, liberatorem, mundatorem, redemptorem Christum habet necessa-*

*rium; non Iulianum, non Celestium, non Pelagium laudatorem.* Et lib. 3. contra duas Epistolas Pelagian. cap. 14. *Non sic (inquit) debemus laudare Creatorem, ut cogamur dicere, imò vero convincamur dicere superfluum Salvatorem. Naturam hominis dignis laudibus honoremus, easque laudes ad Creatoris gloriam referamus: sed quia nos creavit, ita sumus grati, ut non sumus quia sanat in-grati.*

Hunc verò statum Pelagianismi ad Paganismum potius quam ad hæresim diximus pertinere: quia asserere, hominem ipsum sibi, repudiato omni, sive Dei, sive alterius adiutorio, ad omnem virtutem, sapientiam, felicitatemque sufficere, purum putumque Ethnicæ Philosophiæ somnium est; ut patet ex his verbis Senecæ Epistolâ 53. Pelagio præcipientis: *Est aliquid quo sapiens antecedit Deum; ille natura beneficio, non suo sapiens est. Ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei.* Ecce suo beneficio, non Dei auxilio, sapientem fieri hominem putat! Unde Epist. 20. *Huc (inquit) cogitationes tue tendant, hoc cura, hoc apta, omnia alia vota Deo remissurus, ut contentus sis temetipso, & ex te nascentibus bonis. Quæ potest esse felicitas Deo propior? Quasi ceterorum bonorum vota Deo essent remittenda; ad parandas verò animi opes, homo sibi ipsi sufficeret. Quare rursus Epist. 124. ait, Unum bonum esse, quod beata vitæ causa & firmamentum est, sibi FIDERE.* Similia habet Tullius in libro de natura Deorum, ubi in persona Cottæ inquit, *Quia sibi quisque virtutem acquirit, neminem unquam acceptam Deo retulisse: propter virtutem enim jure laudamur, & de virtute rectè gloriamur; quod non contingeret, si id donum à Deo non à nobis haberemus.* Et paulò post subdit: *Judicium hoc unicum mortalium est, fortunam à Deo petendam; à seipso sumendam esse sapientiam.*

Ex his impuris prophane & gentilis Philosophiæ lacunis, hauſta videntur illa Pelagij verba quæ tantopere Augustinus detestatur: *Spirituales divitias nullus tibi præter te conferre poterit. In his ergo jure laudanda es, in his meritis ceteris præferenda es, quæ nisi ex te et in te esse non possint.* Unde Faustulus lib. 1. de gratia cap. 1. hæc scribit: *Pelagius dicit quod ad obtinendam salutem natura hominis sibi sola sufficit.*

Secundus status seu gradus Pelagianæ hæresis fuit veluti semi-ethnicismus, in quo Pelagiani naturam ipsam tanquam gratiam cognoscere & prædicare ceperunt. Cum enim Pelagius malè audiret apud Catholicos, quòd necessitatem gratiæ negaret, ad declinandam invidiam, & fucum Catholicis faciendum, moderationem, quandam suæ sententiæ speciem tenèis adhibuit, capique nomine gratiæ, liberum arbitrium intelligere; quia gratis à Deo, id est nullis nostris præcedentibus meritis, in ipsa creatione nobis collatum est; & eatenus affirmavit, gratiam esse necessariam ad bene operandum, & peccatum vitandum, quatenus sine libero arbitrio, neque bene agere, neque à malo abstinere possumus. Sic testatur Augustinus serm. 11. de verbis Apostoli cap. 7. ubi de Pelagianis ait: *Disputantes contra gratiam pro libero arbitrio, fecerunt auribus piis & Catholicis offensionem; ceperunt horri, ceperunt ut certa perniciēs devitari, cepit de illis dici quòd contra gratiam disputarent, & invenerunt ad relevandam istam invidiam tale commentum: non, inquit, contra gratiam Dei dispuo, Unde probes? Eo ipso (inquit)*

non contra gratiam Dei disputo, quod liberum arbitrium defendo. Videre acumen, sed vitium: quasi luceat vanitas, sed frangitur veritate. Et infra commentum suum interpretantes Pelagiani dicunt: Quia hominem Deus creavit, & liberum donavit arbitrium, quidquid homo potest de libero arbitrio, cuius gratia debetur, nisi ejus qui eum condidit cum libero arbitrio? Nomine autem liberi arbitrij, intelligebant naturale bonum libertatis, cum reliquis necessarijs ad liberè operandum, quæ naturaliter nobis insunt; cujusmodi sunt facultas consultandi & expendendi rationes & motiva agendi vel non agendi, naturalisque propensio ad bonum, & aversio à malo, ut ibidem testatur Augustinus, & lib. de hæresibus, hæresi 88. nec non Hieronymus Epist. 11. ad Cresiphontem, & lib. 1. dialogi contra Pelagianos.

11. Porro hic status solo nomine distat à præcedenti: eadem enim omnino naturæ vires prædicat, hoc solum discrimine, quod iste causam profertur quæ ipsi tantas vires gratis dedit, & gratiæ nomine utatur, ne gratiam omnino neglexisse videatur. Diximus autem eum *semi-ethnicismum* posse vocari: quia etiam Philosophi Gentiles eam gratiam agnoscebant, licet eo nomine non uterentur. Unde Seneca Epist. 90. *Quis dubitare potest (inquit) quin Deorum immortalium munus sit quod vivimus; Philosophia quod bene vivimus?* Itaque tanto plus nos debere huic quam Diss. quanto majus beneficium est bona vita, quam vita. Audin superbiam extollem se adversus Deū, ac supra Deum? Ne tamen divinæ gratiæ oblitus omnino videretur, quasi pudisset eum arrogantiam, corrigendo subjicit: *Pro certo deberetur, nisi ipsam Dij Philosophiam tribuissent.*

12. Non diu in isto statu, & in hac sola naturali gratia profutenda, perstitit Pelagius. Cum enim statim Catholici intelligerent sibi fucum fieri, & gratiæ nomine eandem iterum naturam obtundi, hanc gratiæ confessionem, veluti proflus fraudulentam, irriserunt & condemnarunt: quare Pelagius adhuc pulsatus fidelium objurgationibus, easque declinare volens, ad aliam speciem gratiæ, à natura & libero arbitrio distinctam, confugit, ad legem scilicet & doctrinam divinitus traditam, cujus auxilio confessus est hominem indigere, ut declinet à malo, & faciat bonum. Unde Augustinus de spiritu & littera cap. 2. de Pelagianis sic ait: *Cum urgeri coperint, quomodo id præsumant asserere fieri sine ope divina, reprimunt se, nec hanc vocem audent dimittere, quoniam vident quam sit impia & non ferenda: sed aiunt, idè ista sine ope divina non fieri, quia & hominem Deus creavit cum libero voluntatis arbitrio, & dando præcepta ipse docet quemadmodum homini sit vivendum. Et infra: Neque quisquam, cum verendatus fuerit dicere per nos ipsos fieri, nos justos &c. quia videt hoc à fidelibus & pijs credi non posse, cum dicitur: ad hoc se convertat, ut dicat, idè sine operatione gratiæ Dei nos justos esse non posse, quia legem dedit, quia doctrinam instituit, quia bona præcepta mandavit.*

Hinc Pelagiani, quò melius hoc suum de gratia legis & doctrinæ commentum stabiliarent, magnis laudibus legem extollebant, ut testatur idem S. Doctor lib. 4. ad Bonifacium cap. 5. ubi hæc verba Pelagij in Epistola ad Demetriadem refert: *Legem velut limâ natura expolitur, & fulgori pristino redditur: & ista: Quandiu recentioris adhuc nature usus viguit, nec humana rationi velut quandam caliginem longus usus peccandi obduxit, sine*

Tom. IV.

A lege dimissa est natura; ad quam Dominus nimis jam vitij obrutam, & quadam ignorantie rubigine infectam, limam legis admovit, ut huius frequentiori admonitione expoliretur, & ad suum posset redire fulgorem. Sicut ergo priores Hæretici dividerunt Christum; alij Divinitatis ejus veritatem, alij veritatem carnis ejus abnegantes: ita & Pelagius crucem ejus evacuavit; nam ut inquit Apostolus ad Galatas 2. *Si per legem justitia, gratis Christus mortuus est.*

Hic est tertius, vel potiùs secundus Hæresis Pelagianæ status, qui ab Ethnicismò differt, & ad Judaismum declinat: nam initio nascentis Ecclesiæ plures ex Judæis, inter quos præcipuus fuit Cherintus, de gratia Christi malè senserunt, & se per legem justificari, sufficiente ad eam custodiendam libero arbitrio, docuerunt; contra quos Apostolus Epistolam ad Romanos scripsit, in qua mysteria divinæ gratiæ & prædestinationis fusè exponit, ut sentire videtur Hieronymus, præfatione in Epistolam ad Galatas.

Doctrinæ legis addebant Pelagiani exempla Christi, & remissionem peccatorum. Nam primis quidem sæculis, ab Adamo usque ad Moysen, sufficientem dicebant legem naturalem; quia propter illam primæ conditionis integritatem adhuc perseverantem, & vigorem legis naturalis, illamque libertatem arbitrij, non erat opus aliâ gratiâ: postea verò licentiâ & consuetudine peccandi sensim magis invalescente, naturam, malâ educatione, & pravis exemplis corruptam, eguisse legis scriptæ subsidio, quam Deus per Moysen dedit: cumque postea ob nimiam humani generis corruptionem, quæ peccandi consuetudine inolaverat, lex illa non sufficeret amplius ad pietatèque vivendum, venisse Christum, veluti tanti morbi medicum, qui homines gratiâ suâ medicinali sanaret, & remissionem peccatorum, doctrinam evangelicam, & virtutum exempla præberet. Unde Augustinus lib. de peccato origin. cap. 26. *Non igitur, sicut Pelagius & ejus discipuli, tempora dividamus, dicentes primum vixisse justos homines sub natura, deinde sub lege, tertio sub gratia. Ex natura, scilicet ab Adam tam longa ætate quâ lex nondum erat data: tunc enim, aiunt, duce ratione cognoscebatur Creator, & quemadmodum esset vivendum, scriptum gerebatur in cordibus, non lege littera, sed natura. Verum vitiatæ moribus (inquiunt) ubi caput non sufficere natura tam decolor, lex ei addita est, quâ velut limâ fulgori pristino, detrita rubigine, redderetur. Sed posteaquam nimia, sicut disputat, peccandi consuetudo prævaluit, cui sananda lex parum valet, Christus advenit, & tanquam morbo desperatissimo, non per discipulos, sed per seipsum medicus ipse subvenit.*

E Itaque Pelagiani, ne gratiæ Dei viderentur inimici, multiplex genus gratiæ comminiscabantur: nam ipsum naturale arbitrium voluntatis, gratiam appellabant; legem Moysis necessariam fuisse confitebantur, quâ velut limâ fulgori pristino, detrita rubigine, natura redderetur; doctrinam & revelationem divinam recipiebant, quæ nobis demonstret quid facere debeamus; remissionem peccatorum, & Christi exempla, ad vitam ritè instruendam esse necessaria prædicabant. Unde illi fuere philosophi Ethnici, lege Judæi, solo nomine Christiani, & mutabilitate Prothei, in varias sese species transformantes, ut veram Christi gratiam abolerent.

Hæc sunt certa & indubitata apud omnes Theo-

A iij

logos. Sed difficultas est, & gravis controversia inter Thomistas & Neothericos, an Pelagiani, præter gratias illas extrinsecas, tandem aliquando gratiam internam admiserint: subindeque præter duos status Pelagianæ hæresis jam expositos, tertius admittendus sit? Pro cuius resolutione sit

## ARTICULVS III.

*An & quam gratiam internam Pelagius admiserit?*

16. **N**otandum primò, gratiam internam dividi in habitualement, per quam formaliter sumus intrinsecè iusti & filij Dei adoptivi; & actualement, quæ datur ad operandum, & cum ipsa operatione transit: istamque rursus dividi in prævenientem, quæ operationem antecedit, saltem prioritate naturæ, & concomitantem seu cooperantem, quæ operationem comitatur, ac immediatè in ipsam influit: unde à quibusdam, *gratia cooperationis, seu coefficientis* appellatur.

17. Notandum secundò, quod cum duæ sint potentia in homine, intellectus scilicet & voluntas, duæ etiam gratia internæ in eo reperiri possunt: una quæ se teneat ex parte intellectus, ipsumque illuminet; alia quæ afficiat ipsam voluntatem, eamque, ut ita dicam, immediatè tangat & immutet. Hic verò contactus duplex esse potest: unus purè moralis ac metaphoricus, qui fit medio objecto proposito, à quo allicitur & trahitur ipsa voluntas; quem Augustinus Tractatu 26. in Joan. explicat exemplo ovis, quæ ostensione ramus viridis trahitur, & pueri qui demonstratione pomi vel nucis ad currendum incitatur: *Ramum* (inquit) *viridem ostendis ovi, & trahis illam; nuce puerum demonstratur, & trahitur*: alter realis est & physicus, qui fit per realem & physicam voluntatis immutationem, aut, ut loquitur Augustinus, *per subministrationem spiritus & virtutis*. His præmissis.

Dico primò, Pelagium non solum gratiam externam, consistentem in manifestatione Evangelij, & exemplis Christi, sed etiam internam Spiritus Sancti illustrationem agnovisse, post multas tandem disputationes cum Divo Augustino, & alijs SS. Patribus habitas; subindeque tertium Pelagianæ hæresis statum esse admittendum.

18. Probatur ex Augustino libro de gratia Christi cap. 7. ubi refert verba Pelagij dicentis: *Adjuvat nos Deus per revelationem & doctrinam, dum cordis nostri oculos aperit, dum futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat*. Quibus verbis apertè agnoscit Pelagius donum gratiæ cælestis illuminantis intellectum, & non solum doctrinam, & legem exterius manifestatam. Unde idem Augustinus cap. 11. ejusdem libri affert tanquam exemplum hujus revelationis, sapientiæ, & doctrinæ, illam altissimam revelationem, quæ Sancto Paulo data fuit; quæ sine dubio intus non foris facta est, Deo intrinsecè manifestante veritatem. Quod tamen quia nequaquam ad bene vivendum sufficit, nisi intus simul etiam affectus ipsos voluntatis operetur, hinc infra cap. 24. Pelagianam illam opinionem refellens, dicit: *Legant ergo & intelligent, imitantur atque fateantur, non lege atque doctrinâ insonante forinsecus, sed internâ atque occultâ, mirabili atque ineffabili potestate operari Deum*

A in cordibus hominum, non solum veras revelationes (ut fatebantur Pelagiani, & sufficere credebant) sed etiam bonas voluntates.

Confirmatur ex eodem Augustino cap. 41. ejusdem libri, ubi hæc scribit: *Ipsam verò auxilium quo possibilitatem naturalem perhibet adjuvari, in lege constituit atque doctrinâ, quam nobis fateretur etiam Sancto Spiritu revelari, propter quod & adorandum esse contendit*. Sed adoratio non debetur legem & doctrinam exterius tantum revelanti; nam hoc potest fieri Angeli vel hominis ministerio: Ergo Pelagius non solum externam, sed etiam internam doctrinæ revelationem admisit.

Dico secundò: Pelagius non solum illustrationem in intellectu, sed etiam excitationem & motionem moralem in voluntate agnovit: sed per hoc à commendatione legis & doctrinæ non recessit.

Prima pars probatur ex Augustino lib. de gratia Christi cap. 10. ubi Pelagium sic loquentem, & hæc verba Apostoli, *Deus operatur in nobis velle*, sic exponentem, inducit: *Operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, minorum more animalium tantummodo presentia diligentes, futura gloria magnitudine, & premiorum sollicitatione succendit; dum revelatione sapientiæ, in desiderium Dei stupentem suscitatur voluntatem; dum nobis (quod tamen alibi negare non metuit) suadet omne quod bonum est*. Ubi expendenda sunt illa verba: quod tamen alibi negare non metuit, quibus S. Doctor significat, Pelagium initio quidem negasse internam illuminationem intellectus, & suasionem, seu excitationem moralem voluntatis, quæ fit à gratia, postea verò (id est post Concilium Palestinum, pluresque concertationes, cum ipso Augustino, & alijs SS. Patribus habitas) utramque admisisse. Unde Petavius libro de Pelagianâ & Semipelagianâ hæresi cap. 9. num. 11. hæc scribit: *Adhibuisse Pelagium gratiam aliquam quâ voluntas excitatur, ostendunt ipsius verba, quæ citat Augustinus 1. de gratia Christi cap. 10. ubi ait revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem excitari voluntatem. Sed hanc gratiam in sola intelligentia & cognitione ponebat: alteram autem, quam præcipue quærebat Augustinus quâ voluntas ipsa proximè ac perse movetur, necessitantem esse dicebat libertatis inimicam, ut Julianus ait apud Augustinum lib. 1. cap. 95. operis, imperfecti*.

Quod autem per hoc à commendatione legis & doctrinæ non recesserit, idem Augustinus verbis immediatè sequentibus apertè declarat, subdit enim: *Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam, quâ Deus in nobis operatur velle, quam legem atque doctrinam? In lege namque & doctrinâ sanctarum scripturarum, futura gloria atque premiorum promittitur magnitudo: ad doctrinam etiam pertinet cum suadet omne quod bonum est*. Ex quibus verbis hoc argumentum desumo. Munus & officium legis & doctrinæ est docere, illuminare, ostendere quid faciendum sit, & ad id hortari ac suadere; non verò dare vires ad id faciendum & implendum, ut fusè prosequitur Augustinus toto libro de spiritu & littera: Sed interior illa revelatio, & moralis excitatio, quam Pelagius admisit, habebat solum docere, ostendere, manifestare, illuminare, exhortari, suadere, &c. non autem spiritum & virtutem infundere, seu voluntatem infirmam sanare, roborare, & ad

agendum applicare: Ergo gratia illa Pelagij à commendatione legis & doctrinæ non recedebat. Unde Pelagius Epistolâ ad Demetriadem, virginem illam exhortans ad sanctitatem, totus est in commendanda gratia illa legis & doctrinæ, & consideratione exemplorum Christi, aliorumque id genus, concludens cap. 27. *Tunc senties quantum ad ejus amorem adjuvet te sapientia, quantum sit in te divina legis auxilium.*

21. Ex quo intelliges primò, veram Christi gratiam (qualem Augustinus admisit) non tantum illuminare intellectum, & excitare voluntatem, sed etiam eam intus reformare, ac immutare, ut egregiè declarat D. Prosper in carmine de ingratis, his versibus:

*Non hoc consilio tantum, hortatuque benigno.  
Suadens atque docens, quasi normam legis haberet  
Gratia, sed mutans intus mentem, atque reformas,  
Vasque novum ex fracto fingens virtute creandi.*

23. Intelliges secundò: quòd quando SS. Patres Pelagij errorem referentes, dicunt illum docuisse hominem per liberum arbitrium, solâ legis & doctrinæ manifestatione adjutum, posse implere mandata Dei, & vitam æternam promereri, per hoc non intendunt negare, Pelagium gratiam interioris illuminationis & moralis excitationis admisisse; sed volunt tantum utramque hanc gratiam, quam Pelagius admisit, ut ex Augustino ostendimus, ad gratiam legis & doctrinæ reduci, & sub ea comprehendì; cum proprium legis & doctrinæ sit illuminare intellectum, juxta illud Proverb. 6. *Mandatum lucerna est, & lex lux;* subindeque moraliter & objectivè excitare voluntatem ad bonè agendum. In eodem sensu locutus est S. Thomas quodlib. 5. art. 7. dum dixit: *Cavendus est error Pelagij, qui posuit quod per liberum arbitrium homo poterat adimplere legem, vitam æternam mereri, nec indigebat auxilio divino, nisi quantum ad hoc quod sciret quid facere deberet, secundum illud Psal. 142. Doce me facere voluntatem tuam.* Vel etiam dici potest, S. Doctorem, & alios SS. Patres, loqui de hæresi Pelagij in secundo statu, non verò de tertio, in quo post multas concertationes cum S. Augustino habitas, & post damnatam ipsius hæresim à Zozimo Papa, tandem gratiam interiorem, illuminantem intellectum, & excitantem moraliter voluntatem, admittere coactus est, ut constat ex testimonijs Augustini supra adductis, & magis patebit ex dicendis articulo sequenti.

24. Dico tertio: licet Pelagius auxilium possibilitatis, seu quod dat nobis posse, admisit, auxilium tamen voluntatis & actionis, seu quod dat nobis velle & operari, rejecit.

Patet hoc ex Augustino lib. de gratia Christi cap. 3. ubi de Pelagio sic ait: *Cum tria constituat atque distinguat, quibus divina mandata dicit impleri, possibilitatem, voluntatem, & actionem: possibilitatem scilicet quâ potest homo esse justus: voluntatem, quâ vult esse justus: actionem quâ justus est: horum trium primum, id est possibilitatem, datam constituitur à creatore natura, nec esse in nostra potestate, sed eam non habere etiam si nolimus: duo verò reliqua, id est voluntatem & actionem, nostra esse asserit, atque ita nobis tribuit, ut non nisi à nobis esse contendat. Denique gratia Dei non ista duo, quæ nostra omnino esse; id est voluntatem & actionem, sed illa quæ in potestate nostra non est, & nobis ex Deo est, id est possibilitatem, perhibet adjuvari, tanquam illa quæ nostra sunt, hoc est voluntas & actio, tam sit valentia ad declinandum à ma-*

**A** lo, & faciendum bonum, ut divino adjutorio non indigeant: illud verò quod nobis ex Deo est, hoc sit invalidum, id est possibilitas, ut semper gratia adjuvetur auxilio. Et capite sequenti, sic Pelagium inducit loquentem: *Nos scitria ista distinguimus, & certum velut in ordinem digesta parimus: Primo loco posse statuimus, secundo velle, tertio esse. Posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locamus. Primum illud, id est posse, ad Deum propriè pertinet, qui illud creature suæ contulit: duo verò reliqua, hoc est velle & esse, ad hominem referenda sunt, quia de arbitrij fonte descendunt. Ergo in voluntate & opere bono laus hominis, imò & hominis & Dei, qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit, quique ipsam possibilitatem, gratia suâ adjuvat semper auxilio: quòd verò homo potest velle bonum atque perficere, solius Dei est. Et paulò post: *Ut generaliter universa complectar, quòd possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donavit, qui hoc posse adjuvat: quòd verò bonè vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est, qui hæc omnia vertere etiam in malum possumus.* Et cap. 5. ejusdem libri Augustinus loquens de Pelagio, sic ait: *Possibilitatem, voluntatem, actionem, tantâ subtilitate curavit distinguere, ut quancumque legimus vel audimus divine gratiæ adjutorium consisti, sive in lege & doctrina, sive ubilibet constituat, sciamus quòd loquitur, nec hæreamus aliter eum intelligendo quàm sentit. Scire quippe debemus, quòd nec voluntatem nostram, nec actionem, divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis, atque operis, quam solum ex his tribus nos habere affirmat ex Deo: tanquam hoc sit infirmum, quòd ipse Deus posuit in natura; cetera verò duo quæ nostra esse voluit, ita sint firma, & fortia, & sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio; & ideo non adjuvet ut velimus, non adjuvet ut agamus, sed tantummodo adjuvet, ut velle & agere valeamus.* Denique idem S. Doctor cap. 47. totam de auxilio gratiæ controversiam ad hoc unum reducit, ut Pelagius non solum possibilitatis, sed*

**B** etiam voluntatis & actionis auxilium confiteatur, & subdit: *Si ergo consenserit nobis (Pelagius) non solam possibilitatem in homine, sed ipsam quoque voluntatem & actionem divinius adjuvari, nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversia relinquatur.*

**C** Habemus ergo ex Augustino, Pelagianos admisisse auxilium possibilitatis; auxilium autem voluntatis & actionis repudiasse. Habemus & utriusque auxilij multiplex discrimen: auxilium possibilitatis pertinet ad actum primum, & potentia rationalis ac liberæ, in qua recipitur, indifferentiam ad agendum vel non agendum imitatur: nihil proinde aggreditur nisi excitatum; nihil agit nisi actum, nihil exequitur nisi imperatum, nihil influit nisi determinatum, nihil movet nisi motum, nihil efficit nisi applicatum; non procedit ad actionem nisi impulsus, non pervenit ad effectum nisi directum: auxilium autem voluntatis & actionis, voluntatem sive volitionem & actionem infallibiliter efficit, & indissolubili nexu potentiam cum actu conjungit, nobisque adhibetur ut re ipsa velimus & agamus, non autem ut velle & agere valeamus. Unde tale auxilium, tetrum, horribile, funestum, necessitans, ac libertatis humanæ ultimum, ut ita dicam, vulnus, Pelagianis visum est, ut patebit ex dicendis articulo sequenti.

**D** Querens, an auxilium illud possibilitatis, quòd Pelagiani admittebant, esset verè auxilium sufficiens?

25

26

Respondeo negativè: quia illa omnia, quibus Pelagiani dicebant naturalem arbitrij libertatem & possibilitatem adjuvari, nempe legem, doctrinam, exemplum Christi, illuminationem intellectus, & moralem excitationem voluntatis, non sufficiunt ad reddendum hominem perfectè & completè potentem ad actus supernaturales eliciendos, sed insuper requiritur virtus aliqua supernaturalis, physicè movens ac immutans voluntatem, seu motio quædam virtuosa ordinis supernaturalis, vel, ut Augustinus loquitur, *subministratio spiritus & virtutis*. Ratio est, quia cum voluntas sit non solum principium morale, sed etiam physicum actuum supernaturalium quos elicit, v. g. actus charitatis, aut contritionis, ut de impotente reddatur completè potens ad eos eliciendos, prius, saltem naturà, quàm operetur, debet non solum moraliter, sed etiam physicè moveri seu immutari, virtutem aliquam morivam, seu motionem virtuosam recipiendo. Unde in Tractatu de actibus humanis, fusè ostendimus, eos qui gratiam moraliter tantum prævenientem & excitantem admittunt, & physicè præmoven-tem repudiant, auxilium verè sufficiens de medio tollere, illudque, sublata gratiâ physicè prædeterminante, non posse salvari.

Dico quartò, Pelagium admisisse gratiam cooperationis, aut coëfficientiæ, seu concursum simultaneum ordinis supernaturalis.

29. Probatur primò ex D. Hieronymo lib. 1. contra Pelagium in principio, ubi refert Pelagium dixisse: *Quidquid in me boni habeo, illo suggerente & adjuvante completur*. Et interroganti Hieronymo, *quod agis bonum, tuum est, an Dei?* Respondet: *Meum est & Dei, ut ego operer, ille adjuvat*.

30. Probatur secundò ex Divo Augustino in Enchirid. cap. 32. & lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. ubi clarè supponit Pelagium docuisse, *Propterea dictum esse ab Apostolo, non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei: quia ex utroque sit, id est ex voluntate hominis, & misericordia Dei; tanquam diceretur: non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei: Ergo supponit Pelagium admisisse gratiam cooperationis & coëfficientiæ, seu concursum simultaneum ordinis supernaturalis.*

31. Quantum verò ad concursum simultaneum ordinis naturalis, plures existimant Pelagium illum negasse, ait enim apud Divum Hieronymum in Epistola ad Ctesiphontem: *Si voluero curvare digitum, movere manum, ambulare, stare, sedere, scribere, sputa jacere, &c. semper mihi auxilium Dei necessarium erit?* Alij verò contendunt, ipsum nomine auxilij quod negavit, intellexisse influxum in causam, seu motionem & applicationem ipsius causæ: Tum quia illum concursum negabat, qui est complementum potentiæ ad operandum, ut patet ex verbis illis Pelagij à D. Hieronymo in eadem Epistola relatis: *Dedisti mihi arbitrij libertatem, quid rursus te ingeris, ut nihil facere possim, nisi tu in me tua dona compleris*: Tum etiam, quia hunc concursum negabat ad nostros actus, quem existimabat liberum arbitrium tollere; dicebat enim apud eundem Hieronymum: *Non ultra indigemus Dei auxilio, ne si indigerimus, liberum frangatur arbitrium: concursus autem purè simultaneus & indifferens, ne apparetur quidem nocet libertati, cum voluntatem non determinet, sed ab ea potius determinetur & applicetur*. Addunt, quod ideo Pelagius

A negabat concursum Dei, quia asserbat unumquemque arbitrio suo regi, ut refert idem S. Doctor in eadem Epistola ad Ctesiphontem: concursus autem quo causæ secundæ reguntur, debet in ipsas influere, easque ad agendum movere & applicare; cum usus qui est proprius actus domini, seu regiminis, nihil aliud sit quàm applicatio rei ad operationem, ut docet S. Thomas suprâ quæst. 16. art. 1.

Sed hujus difficultatis resolutio parùm refert ad intelligentiam hæresis Pelagianæ; quia contentio SS. Patrum cum Pelagianis fuit præcipuè de necessitate gratiæ propriè dictæ, non verò de concursu generali: unde licet Durandus, Ludovicus à Dola, & alij, omnem concursum Dei tam prævium quàm simultaneum negent, Pelagianis tamen & hæreticis non annumerantur.

Dico ultimò: Pelagiani docebant gratiam remissivam peccati esse donum internè renovans seu instaurans naturam, & non extrinsecè tantum peccata condonans. Est contra Suarem, Beccanum, & alios Recentiores, existimantes Pelagium non agnovisse gratiam internam sanctificantem nos, & à peccatis mundantem, animamque ornantem & decorantem; sed docuisse justificationem esse meram peccatorum condonationem, seu non imputationem, eo ferè modo quo Hæretici nostri temporis dogmatizant.

C Probatur conclusio apertè ex Epistola Pelagij ad Demetriadem, ubi expressè docet per gratiam Christi nos in meliorem hominem renasci; nos expiari & mundari; nos filios Dei, & coheredes Christi fieri; Ecclesiam sine macula rugaque reddi. Sic enim ait cap. 8. *Si ante legem, & multò ante nostri Salvatoris adventum, justè quidam vixisse & sanctè referantur, quanto magis post illustrationem adventus ejus, nos id posse credendum est, qui instructi per Christi gratiam, & in meliorem hominem renati sumus; qui sanguine ejus expiati atque mundati, illiusque exemplo ad perfectam justitiam incitatur, meliores illis esse debemus qui ante legem fuerunt; meliores etiam quàm fuerint sub lege*. Et cap. 22. *Nobilitatis ad hoc tantum memineris, ut cum claritate generis, morum sanctitate contendas; & cum nobilitate corporis, animi virtute nobilior proficias; magisque illà virtute gloriaris, qua filios Dei, & coheredes Christi facit*. Item cap. 24. *Sæculi virginæ quæ se nuptijs preparant &c. mirà se sollicitudine formare student &c. Non minorem sponsus tuus requirit ornatum, qui cum universam Ecclesiam, salutaris aqua lavacro purificatam, sine macula rugaque reddiderit, quotidie cupit eam fieri pulchriorem*.

Idem colligitur ex eo quod Pelagiani docebant, quòd nimirum etsi baptismus non esset necessarius parvulis ad culpam originalem delendam (quam nullam ex Adamo trahi existimabant) requireretur tamen ad alios effectus, quos gratia baptismalis confert, nempe ad sanctificationem animæ, interiorem ejus renovationem, adoptionem in filium Dei, & regni cælestis apertionem: Quod ut probarent, adducebant S. Joannis Chrysostomi testimonium, quo gratiæ baptismalis doctes elegantissimè describuntur. Verba Juliani apud sanctum Augustinum lib. 1. contra Julian. cap. 6. hæc sunt: *Sanctus Joannes Constantinopolitanus negat esse in parvulis originale peccatum: in ea quippe homilia quàm de baptizatis habuit: Benedictus, inquit, Deus qui facit mirabilia solus, qui fecit universa, & convertit universa. Ecce liberatis*

Disp. 6.  
art. 2.  
§. 10.

libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo ante captivi; & cives Ecclesie sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; & iustitia in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed & sancti, sed & iusti: non solum filii, sed & heredes, sed & fratres Christi: non tantum fratres Christi, sed coheredes: non solum coheredes, sed & membra: non tantum membra, sed & templum: non tantum templum, sed & organa spiritus. Vides quot sunt baptismatis largitates: & nonnulli deputant cœlestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere: nos autem honores computavimus decem. Hac de causa etiam infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, ut eis detur vel addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint. Hæc Julianus: quibus aperte proficitur, gratiam baptismalem esse donum aliquod supernaturale in anima receptum, & variis dotibus eam exornans. Unde idem Julianus apud Augustinum lib. 1. operis imperfecti fol. 58. loquens de gratia baptismali, ait: *Hanc gratiam locupletem spiritualibus donis credimus, & multis optimam muneribus, ac reverendam virtutibus.* Quæ verba aperte declarant, Pelagianos tum gratiam habitualement sanctificantem, tum etiam virtutum supernaturalium habitus infusos admisisse, & solum de gratia actuali, seu auxiliante, inter ipsos & Augustinum fuisse controversiam.

35. Obijcit primò Suarez Prologom. 5. de gratia num. 5. Pelagius negavit, vel certe non agnovit actus supernaturales: Ergo pariter sustulit dona gratiæ habitualia; ablatis enim actibus, necesse est habitus tolli, cum habitus sint propter actus.

Sed negatur consequentia: Tum quia alius esse potuit Pelagio gratiæ habitualis usus, tamen si nihil eam ad ipsos actus, sed solum voluntatem hominis conferre censeret; potuit enim illam admittere ad sanctificandam, mundandam, & ornandam animam, aliasque prærogativas acquirendas, de quibus supra Julianus ex Divo Chrysostomo disseruit: Tum etiam quia cum gratia habitualis per liberum arbitrium, quod est proxima ratio agendi, determinetur ad operandum, Pelagiani nullum auxilium supernaturale applicans liberum arbitrium ad agendum admitcentes, existimare potuerunt nullos dari actus supernaturales, etsi dona gratiæ habitualia in anima & ejus potentiis resideant.

36. Obijcit secundo ibidem num. 50. & lib. 7. de gratia cap. 6. Licet Pelagius gratiam remissionis peccatorum admisserit, dixit tamen illam non fieri per interioris gratiæ subministratorem, ut dicit Augustinus cum aliis Episcopis Epist. 95. Et lib. de gratia Christi cap. 2. ait sensisse Pelagium nos salvari, adjutos non aliquâ subministratorem virtutis, sed viribus propriæ voluntatis: & ideo in Concilio Milevitano can. 3. damnatur, quia gratiam ad solum remissionem peccatorum valere dicebat: Ergo Pelagius per remissionem peccatorum non intellexit infusionem gratiæ sanctificantis, aliorumque habituum supernaturalium qui eam comitantur, sed nudam & simplicem peccatorum condonationem.

37. Respondeo triplicem ad minus in hoc discursu Suaris contineri hallucinationem: Primam quidem in hoc quod ait S. Augustinum cum aliis Episcopis (Aurelio scilicet, Alipio, Evodio, & Possidio) in illa Epistola quam ad Innocentium Papam scripserunt, dixisse quod Pelagius intellexit

Tom. IV.

A remissionem peccatorum fieri absque infusione gratiæ habitualis. Equidem verba Episcoporum esse fateor: Sive gratiam dixerit (Pelagius) esse liberum arbitrium, sive gratiam esse remissionem peccatorum, sive gratiam esse legis præceptum, nihil eorum dicit quod per subministratorem Spiritus Sancti pertinet ad concupiscentias, tentationesque vincendas. Quæ verba sanè longè aliud significant atque sonant, quàm quod Author ille persuadere conatur. Significatur quippe remissionem peccatorum, quocumque modo illa intelligatur, non esse illud adjutorium divinæ gratiæ, quod per subministratorem, sive inspirationem Spiritus Sancti datur ad superandas concupiscentiarum tentationes, quæ contra animum jam purgatum peccatorum remissione confurgunt: illa enim habet esse fixum & permanens, istud cum actione fluit & transit; illa præterita peccata delentur, isto futura caventur; illa peccator justificatur; illud iustus petit ut iustè vivat; denique pro illa impetranda dictum est, ac dicitur quotidie à fidelibus: *Dimitte nobis debita nostra*, pro isto verò: *Et ne nos inducas in tentationem.*

Secunda hallucinatio est, quod ille Author existimat, Augustinum libro de gratia Christi cap. 2. per subministratorem Spiritus Sancti intellexisse collationem gratiæ habitualis, quasi velit Pelagium negasse in ipsa remissione peccatorum gratiam habitualement infundi. At verò S. Augustinus non ait quod Suarez refert, nempe *nos salvari, adjutos non aliquâ subministratorem virtutis, sed viribus propriæ voluntatis* (quo loquendi modo videri posset, S. Augustinum significare, Pelagium negasse gratiam habitualement) sed ait sensisse Pelagium, *nos adjuvari ut non peccemus, non aliquâ subministratorem Spiritus Sancti, sed viribus propriæ voluntatis, quid sibi dimissione peccatorum præstitum fuerit per actus singulos recordantes.* Quæ sanè verba non indicant quæstionem esse de gratia habituali quâ remittuntur peccata, sed potius de auxilio actuali ad non peccandum necessario.

D Tertia hallucinatio, & omnium maxima, consistit in eo quod asserit Pelagium damnari in Concilio Milevitano, quod in remissione peccatorum gratiam habitualement non intelligeret. De hac enim gratia nulla erat controversia, nulla disceptatio inter Pelagianos & Sanctos Patres, ut luculentis Augustini testimoniis jam satis superque demonstravimus, & ingenuè fateatur Vazquez hinc disputatione 196. cap. 3. num. 13. ubi sic ait: *Scholastici qui putarunt cum Pelagio disputatum fuisse de necessitate gratiæ habitualis, & remissionis peccatorum, ad servanda præcepta, ignoratone vocis & historiæ lapsi sunt, existimantes nomine gratiæ intelligi gratiam habitualement, & remissionem peccatorum.* Capitale ergo dogma Pelagij quod in Concilio Milevitano damnatur, & à S. Augustino variis in locis confutatur, consistit in eo quod ille hæreticus docebat, petendam quidem esse gratiam, quæ remissionem peccatorum affert; & dici posse: *Dimitte nobis debita nostra*; tamen illud quod sequitur, *Ne nos inducas in tentationem*, non sic accipiendum, quasi postulari debeat auxilium ad superandas tentationes necessarium. Hoc, inquam, in Concilio Milevitano can. 3. damnatur; non verò quod ait Suarez, ut patet ex verbis Concilij, quæ sunt hæc: *Placuit ut quicumque dixerit, gratiam Dei, in qua justificamur per Jesum*

B

*Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium quo non committantur, anathema sit.*

38. Objicies tertio: D. Augustinus subtilissimus ac diligentissimus hæresis Pelagianæ indagator, libro de gratia Christi cap. 30. affirmat se nusquam in scriptis Pelagij & Celestij, gratiam quâ justificamur, & quâ charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, potuisse invenire: Ergo Pelagiani habitualis gratiæ dona non admiserunt.

Respondeo Augustinum non dicere absolute quod in scriptis Pelagij & Celestij gratiam illam quâ justificamur &c. invenire non potuerit, sed addere, *quemadmodum constenda est*: quia gratia habitualis, & habitus infusi qui ab ipsa dimanant, admitti debent non solum ad sanctificandam, mundandam, & ornandam animam, sed etiam ad influendum unâ cum ejus potentiis in actus supernaturales; ob quem usum Pelagius, ut suprà annotavimus, talia dona non admisit.

#### ARTICVLVS IV.

*An Pelagiani veram Christi gratiam, quæ facit velle & operari, tandem aliquando admiserint?*

39. **A**ffirmat Jansenius lib. 6. de hæresi Pelagianâ cap. 1. & sequentibus; atque hunc dicit fuisse quartum & ultimum hæresis Pelagianæ statum, cœpisseque postquam Zozimus Papa, strenuissimè cooperantibus Africanorum Episcoporum litteris & Conciliis, hæresim Pelagianam solemniter damnavit: nam cùm antea Pelagiani veram Christi gratiam, quæ facit nos velle & operari, respuerent, damnatione illâ oppressi, talem gratiam admittere coacti sunt. Verùm eam dupliciter alterarunt & corruperunt: Primò quia dixerunt talem gratiam non dari gratis, sed ex merito; ac proinde non esse gratiam, quia, ut ait **D** Apostolus Rom. 11. *si gratia, jam non ex operibus*, alioqui gratia non est gratia: hæc autem merita illam præcedentia dicebant esse cupiditatem boni, id est, primam bonam voluntatem credendi & convertendi se ad Deum, sive bene vivendi; idque affirmabant, ne alioquin invito & reluctanti homini diceretur immitti divinitus cupiditas boni, si videlicet nondum volenti daretur gratia quâ veller. Secundò quia docuerunt veram illam gratiam, licet ad adipiscendam perfectionem & salutem utilis sit, non tamen simpliciter esse necessariam, sed tantùm ut facilius obtineatur.

40. Primum probat Jansenius ex celebri D. Augustini testimonio, desumpto ex libro de gratia Christi, quem post damnatam hæresim Pelagij prius ab Innocentio I. deinde à Zozimo, S. Doctor conscripsit, ut ipse ait libro 2. Retract. cap. 50. Nam cap. 23. hujus libri hæc verba Pelagij refert Augustinus: *Qui currit ad Deum, & à Deo se regi cupit, id est voluntatem suam ex ejus voluntate suspendit; qui ei adharendo jugiter, unus secundum Apostolum cum eo fit spiritus, non hoc nisi de arbitrij efficit voluntate, quâ qui bene utitur, ita se, inquit, totum tradit Deo. omnemque suam mortificat voluntatem, ut cum Apostolo possit dicere: Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus; ponitque cor suum in manu Dei, ut illud quò voluerit Deus ipsi declinet.* Quibus

**A** Pelagij verbis subjungit S. Augustinus: *Magnum profecto adiutorium divina gratia, ut cor nostrum quò voluerit Deus ipse declinet. Sed hoc tam magnum adiutorium, sicut iste despexit, tunc meremur, cùm sine ullo adiutorio non nisi de arbitrij libertate ad Dominum currimus, ab eo nos regi cupimus, voluntatem nostram ex ejus voluntate suspendimus, eique adharendo jugiter, unus cum illo efficiamur spiritus. Hæc scilicet tam ingentia bona non nisi arbitrij secundum istum efficiamus libertate, ut his præcedentibus meritis sic ejus gratiam consequamur, ut cor nostrum quò voluerit Deus ipse declinet.*

**B** Alterum colligit Jansenius ex eodem S. Doctore serm. 11. de verbis Apostoli cap. 11. ubi hæc scribit: *Non sicut quidam dicere cœperunt, coarctati sunt aliquando gratiam consieri, & benedicimus Deum, quia vel hoc aliquando dixerunt: accedendo enim proficere poterunt, & ad id quod verè rectum est pervenire. Jam verò dicunt adiutricem esse gratiam Dei ad facilius faciendum. Ista sunt verba eorum: Ad hoc dedit, inquit, Deus gratiam suam hominibus, ut quod facere jubentur per liberum arbitrium, facilius implere possint per gratiam. Volo facilius, remodifficilius; tamen & remoitur: jumento facilius, pedibus difficilior; sed tamen & pedibus pervenitur. Non est sic &c.*

**C** Adducit etiam versus D. Prosperi in carmine de ingratis, ubi de Pelagianis canit:

*Sic vitam æternam acquiri potuisse, vacante  
Hac ope, quæ legem supereminet: ut sine lege  
Ex naturali potuit virgine capepsi?*

*Nunc autem studiis vergentibus in mala multa,  
Crevisse auxilium: non quo cessante, salutem  
Non cuperet per difficiles natura labores:*

*Sed quo conatus operum, affectusque juvante,  
Propositam citius ferret mens libera palmam.*

Quibus versibus aperte declarat Pelagianos existimasse, corruptâ nunc per peccandi consuetudinem naturâ, nos egere quidem ad bene vivendum quotidianò gratiæ auxilio, à lege & doctrina distincto, illud tamen solum ad facilius operandum requiri. Unde Augustinus libro de hæresibus, hæresi 88. Pelagianorum hæresim describens, ait: *Denique Pelagius à fratribus increpatus, quod nihil tribueret adiutorio gratiæ Dei ad ejus mandata faciendâ, correptioni eorum eatenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam.*

**E** Nihilominus dicendum existimo, his quidem testimoniis manifestè probari, Pelagianos post damnatam ipsorum hæresim sub Zozimo Papa, cœpisse desistere ad Semipelagianismum, & docere gratiam ex meritis bonæ voluntatis dari, eamque solum ad facilius operandum requiri; non tamen probari tunc eos veram Christi gratiam, quæ facit nos velle & operari, admisisse. Primum liquet ex testimoniis adductis. Secundum verò probatur ex D. Augustino libro de gratia Christi, quem, ut suprà annotavimus, post damnatam hæresim Pelagij à Zozimo Papa edidit: nam postquam cap. 23. retulit verba suprà dicta Pelagij, quibus auxilium efficax ad volendum & agendum admittere videbatur, & postquam subdidit: *Magnum profecto adiutorium divina gratia, ut cor nostrum quò voluerit Deus ipse declinet:* deinde capitibus sequentibus aperte

declarat, Pelagium in suo semper errore persistisse, & his non obstantibus, gratiam quæ facit velle & operari semper negasse. Patet hoc primo ex cap. 25. hujus libri, ubi sic ait: *Desinat Pelagius & seipsum & alios fallere, contra Dei gratiam disputando. Desinat dicere quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donavit, qui hoc posse adjuvat; quod verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est. Desinat, inquam, ista dicere: non solum enim Deus posse nostrum donavit atque adjuvat, sed etiam velle & operari operatur in nobis. Et infra: Quomodo dicit Pelagius, quod bene loqui possumus, Dei est; quod bene loquimur, nostrum est? cum dicat Dominus: Spiritus Patris vestri est qui loquitur in vobis. Neque enim ait, non vos estis qui dedistis vobis bene posse loqui, sed ait qui loquitur in vobis, non significans possibilitatis profectum, sed exprimens cooperationis effectum. Quomodo dicit liber arbitrij elatus assertor, quod possumus bene cogitare, Dei est, quod autem bene cogitamus, nostrum est? Cui respondet humilis gratia predicator: Non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobismetipsis, sufficientia nostra ex Deo est. Non enim ait posse cogitare, sed cogitare.*

44. Idem constat ex capite 31. ejusdem libri, ubi de Pelagio sic ait: *Manifestum est eum dicere, gratiam secundum merita nostra dari; quamlibet eam, vel qualemlibet significet, quam tamen aperte non exprimit. His enim verbis quamlibet vel qualemlibet, declarat Augustinus, Pelagium non aperte significasse, quamnam esset illa gratia, quam dicebat secundum merita nostra dari. Unde cap. 34. dicit quod nullibi potuit reperire hanc eum gratiam confiteri, quæ non solum possibilitas naturalis voluntatis & actionis, sed ipsa etiam voluntas (id est volitio) & actio, subministratione Sancti Spiritus adjuvatur. Et cap. 41. asserit quod Pelagius ab illo suo manifestissimo dogmate non recedit omnino, ubi tria illa constituit, possibilitatem, voluntatem, actionem, & solam possibilitatem dicit divino semper adjuvari auxilio, voluntatem verò & actionem, nullo Dei adjutorio existimat indigere. Denique, ut supra vidimus, idem S. Doctor cap. 47. ejusdem libri, totam inter ipsum & Pelagium de auxilio gratiæ controversiam ad hoc reducit, ut Pelagius non solum possibilitatis, sed etiam voluntatis & actionis auxilium confiteatur; & subdit, quod si tale auxilium vellent admittere, nihil de adjutorio gratia Dei, quantum arbitror, inter nos controversia relinqueretur. Quod certè non debuisset dicere Augustinus, si Pelagius eo tempore gratiam efficacem, quæ dat velle & operari, ut datam ex meritis, & ad perfectionem & salutem adipiscendam utilem, non tamen necessariam, admisisset: sed potius asserere debuisset, quod si ille talem gratiam ut purè gratuitam, & ad volendum & operandum simpliciter necessariam, vellent concedere, nulla inter ipsos esset de gratia Christi contentio.*

45. Hæc magis declarari & illustrari possunt ex libro de hæresibus, quem postremum, vel inter postremos, D. Augustinus conscripsit, ut notant Lovanienses in censura ejusdem libri, initio, & testatur Isidorus libro de viris illustribus cap. 9. ubi addit Augustinum morte præventum, librum illum imperfectum reliquisse. Id etiam constat ex Epistola ipsiusmet Augustini, eidem libro præfixa, quæ disertè affirmat, se illum scri-

Tom. I V.

A pisse post libros Retractionum. In hoc ergo libro S. Doctor hæresi 88. Pelagianam hæresim describens, affirmat Pelagianos, quicquid dissimulaverint, & sententiam mutasse vili fuerint, semper in eo persistisse, quod adjutorium gratiæ ad bene operandum, & peccata vitanda, in lege & doctrina constituerint. Verba ejus sunt: *Illam Dei gratiam, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt (Pelagiani) nisi in libero arbitrio; quod nullis suis precedentibus meritis ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantum existimantes ipsum adjuvantem per suam legem atque doctrinam, ut discamus quæ facere & quæ sperare debeamus: non autem ad hoc per donum Spiritus Sancti, ut quæ didicerimus esse facienda faciamus: ac per hoc divinitus nobis dari scientiam consentiunt, quæ ignorantia pellitur; charitatem autem dari negant, quæ pietate vivitur; ut scilicet cum sit Dei donum scientia quæ sine charitate infat, non sit Dei donum ipsa charitas, quæ ut scientia non infat, edificat. Hæc Augustinus, quibus perspicuè testatur, Pelagium, ejusque asselas, etiam tunc cum hæc scriberet, subindeque multo tempore post damnatam à Zozimo Papa hæresim Pelagianam, non admisisse nisi illud genus gratiæ, quod confert ad sciendum quæ faciendæ sunt, adeoque se tenet solum ex parte intellectus; non autem illud quod se tenet ex parte voluntatis, facitque nos velle & operari. Certè injuriosè & calumniosè Pelagianos tractasset Augustinus, si quamvis illi sententiam mutassent, & veram Christi gratiam, quæ facit nos velle & operari, tandem agnovissent, persistisset nihilominus ipse usque ad extremum vitæ in illis accusandis, quod gratiam tantum admitterent, quæ scire valeamus, non autem veram Christi gratiam, quæ velimus & faciamus. Unde Iansenius valde hallucinatur, cum asserit Pelagianos, post damnatam à Zozimo Papa ipsorum hæresim, veram Christi gratiam, quæ facit velle & operari, cepisse admittere, cum modis tamen seu corruptelis supra explicatis, huncque fuisse quantum & ultimum hæresis Pelagianæ statum: hanc siquidem gratiam Pelagius semper negavit; quia nunquam intelligere valuit, quomodo arbitrij nostri libertas cum ea possit consistere: Hoc enim (inquit Augustinus) intellectui penetrare pauci valent.*

Sed dices: quamnam ergo est gratia illa, quam Pelagiani tunc admisserunt & modis prædictis adulterarunt, dicentes eam dari ex meritis, & solum ad faciilius agendum requiri?

Respondeo auxilium illud, quod tunc Pelagiani admisserunt, esse aliquid præter legem, & communem notitiam mandatorum, nimirum specialem illuminationem, habitam per Spiritum Sancti revelationem, & se tenentem etiam ex parte potentiae, & non solum ex parte objecti; id est auxiliū elevans intellectum ad melius percipiendum legem, & doctrinam à Spiritu Sancto revelatam. Ita colligitur ex Augustino, libro sæpe citato de gratia Christi, quem post damnatam à Zozimo Papa Pelagij hæresim, contra Pelagium & Celestium edidit: nam cap. 7. ubi retulit verba Pelagij dicentis: *Deus gratia sua auxilium subministrat, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitriū, facilius possint implere per gratiam;* subdit de eodē Pelagio: *Et tanquam explicaturus quam dicat gratiam, adjunxit dicens: Quam nos non ut tu putas, in lege tantummodo, sed & in Dei esse adjutorio confitemur. Ubi aliquod adjutorij videtur ponere præ-*

B ij

Libro 2.  
contra  
Istos  
Pelagianos  
ni cap.  
84.  
46.

ter legem, seu cognitionem mandatorum Dei, quod dicit ad faciilius dari. Sed quod, & quale illud sit, patet ex verbis quæ Augustinus subiungit: *Quis non desideret ut ostendat quam vult intelligi gratiam? hoc enim maxime de illo expectare debemus, ut dicat hoc quod dicit, non in legetantum modo se gratiam confiteri; sed nobis hac expectatione suspensis, quid addiderit inimicini: adjuvat enim nos, inquit, Deus, per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, ne presentibus occupemur, futura demonstrat; dum diaboli pandit insidias; dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ celestis illuminat. Ecce quomodo Pelagius gratiam interneræ illuminationis agnovit, non ut simpliciter & absolute necessariam ad implenda legis præcepta, sed ut utilem ad melius & faciilius ea servanda.*

47. Dices: Gratia illuminationis reducitur ad legem & doctrinam, ut supra ex Augustino ostendimus: Sed gratia illa, quam Pelagius post damnatam suam hæresim à Zozimo Papa admisit, non reducitur ad legem & doctrinam, cum Augustinus supra adductus eam appelleret, *Magnum adiutorium divini gratiæ*, & dicit benedicendum esse Deum, quod Pelagiani talem gratiam tandem aliquando admisissent: Ergo aliam gratiam, diverfam à gratia illuminationis, Pelagius admisit.

Respondeo duplicem esse gratiam illuminationis; unam quæ se tener ex parte objecti, & ad sufficientem ejus propositionem seu applicationem pertinet, quam Pelagius, etiam antequam à Zozimo Papa damnaretur, admisit: alteram se tenentem ex parte potentiae, seu intellectus, per quam roboratur & elevatur ad assentiendum objecto tali modo proposito; & hanc admisit Pelagius solum postquam ejus hæresis à Zozimo Papa damnata fuit: hæc verò gratia, cum potentiam roborat & confortat, non pertinet ad legem, quæ habet solum objectum manifestare & proponere, subindeque ab Augustino, *Magnum gratiæ adiutorium* appellatur.

#### ARTICULUS V.

##### *Qui fuerint Pelagianorum errores circa liberum arbitrium?*

Explicatis Pelagianorum dogmatibus circa divinæ gratiæ necessitatem, & efficaciam, superest ut qui fuerint ipsorum errores circa libertatem arbitrii, breviter declaremus.

48. Primus est, quod existimarent tantas esse vires naturales liberi arbitrii, ut sine auxilio gratiæ, illud roborantis & applicantis, legem implere, & salutem æternam consequi posset. Hic error constat ex dictis supra art. 2. de primo & secundo statu hæresis Pelagianæ, & refertur ac refellitur ab Augustino Epist. 89. ubi de Pelagianis sic ait: *Illud quod dicunt, sufficere homini liberum arbitrium ad dominica præcepta implenda, etiam si Dei gratiæ, & Spiritus Sancti dono ad opera bona non adjuvetur, omnino anathematizandum est, & omnibus execrationibus detestandum. Unde Patres Concilij Carthaginensis apud eundem Augustinum Epistolâ 90. sic de illo errore pronuntiant: Quicumque dogmatizat, & affirmat humanam sibi ad vincenda peccata, & Dei mandata faciendam, sufficere posse naturam, anathema sit.*

A Secundus est, quod affirmarent libertatem arbitrii stare non posse cum necessitate & efficacia auxiliorum gratiæ Dei. Dicebant enim apud D. Hieronymum in Epistola ad Ctesiphontem: *Non est liberum arbitrium, si Dei indiger auxilio. Quem errorem egregie refellit D. Augustinus variis in locis, præsertim lib. de spirit. & litt. cap. 26. ubi sic habet: Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? absit: sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed statuitur: neque enim lex impletur, nisi libero arbitrio; sed per legem cogniti peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio anime à vitio peccati, per anime sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium justitiæ dilectio, per justitiæ dilectionem legis operatio. Ac per hoc sicut lex non evacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides imperat gratiam, quæ lex impletur: ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem, quæ justitiæ libere diligatur. Et Epist. 88. ait: Voluntas tantò est liberior, quanto sanior; tantò autem sanior, quanto divini misericordiæ gratiæque subiectior. Similia habet D. Prosper scribens contra Semipelagianos, nam in libro contra Collatorem capite 38. hæc scribit: Non conturbat nos superbientium inepta querimonia, quæ liberum arbitrium causantur auferri, si & principia, & profectus, & perseverantia in bonis usque in finem, Dei dona esse dicantur: quoniam opitulationes divini gratiæ, stabilimenta sunt voluntatis humanae. Et in resp. ad capita Gallo- rum: Gratia (inquit) non abolet, sed adoleat liberum arbitrium. Quibus verbis gratiam non solum ut libertatis amicam, sed etiam ut ejus nutriceam & parentem nobis exhibet: unde in carmine de ingratis, sic in eos invehitur.*

*Hic vanam insano profectis corde querelam: Omne opus arbitrii sublatum vociferantes, Currere currentium, si non & velle volentis est, &c.*

Et infra.

*Hoc itaque arbitrium cum sanat gratia, tolli Dicitis, & perimi vitæ aspirante putatis, &c.*

D In eundem errorem impigisse monachos Adrumetini Monasterij in Africa, notat Janseus lib. 5. de hæresi Pelagiana cap. 24. *Illud tamen (inquit) inter utroque (Adrumetinos & Pelagianos) discrimen fuit, quod Pelagiani, ne libertas tolleretur, talem gratiam sustulere: Adrumetini, ut salva maneret talis gratia, libertatem. Nempe quia illi hæretici erant, inimici Crucis Christi: isti Catholici, qui quodlibet sibi tolli malent, quam gratiam Dei. Sed in hoc haud dubiè hic Author hallucinatus est: tam bene enim hæretici sunt, qui libertatem negant, ut gratiam servant, quam qui gratiam negant, ut libertatem astruant; nec minus Ecclesia ut hæreticos proscripsit Lutheranos, Calvinistas, & cæteros, qui prætextu gratiæ commendandæ libertatem homini abstulerunt, quam Pelagianos, qui prætextu servandæ libertatis efficaciam gratiæ evacuarunt. Unde reatè Tertullianus dixit, semper Christum inter duos hæreticos crucifigi, & veritatem inter duos extremos pendere errores, uti Christum inter duos latrones.*

Tertius error Pelagianorum erat, quod existimabant voluntatem hominis lapsi esse in perfecto æquilibrio, sicut erat in statu innocentiae, & æquè pronam in bonum ac in malum; subindeque dicebant liberum arbitrium non fuisse læ-

sum & debilitatum per peccatum Adami, nec ratione concupiscentiæ, magis propendere ad bonum delectabile contrarium rationi, quàm ad bonum honestum & rationi consonum, ut refert D. Prosper in Epistola ad Augustinum, præfixa libro de prædest. Sanctorum, ubi eos dicit affirmasse, *Quantum quisque ad malum, tantumdem habere facultatis ad bonum; parique momento animum se vel ad vitia vel ad virtutes movere.*

Quartus denique erat, quod libertatem arbitrij generaliter definirent per indifferentiam ad bonum & ad malum; ita ut neminem liberum esse dicerent, nisi qui posset indifferenter bene vel male operari; ut liquet ex Augustino lib. 1. operis imperfecti contra Julian. pag. 150. ubi eum aliosque Pelagianos reprehendit, quod libertatem generaliter sumptam restringerent ad potestatem indifferentem circa bonum & malum, seu quæ posset bene & male velle: quia ex hoc sequeretur, quod nec Deus, nec Angeli, aut homines beati, qui non possunt peccare seu male appetere, non essent liberi: *Si liberum non est (inquit) nisi quod duo potest velle (id est bonum & malum) liber ergo Deus non est, qui malum non potest velle, de quo ipse dixisti, Deus esse nisi justus non potest. Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem?* Unde merito sic concludit Anselmus in Dialogo de libero arbitrio cap. 1. *Quoniam liberum arbitrium divinum, & bonorum Angelorum, peccare non potest, non pertinet ad definitionem liberi arbitrij posse peccare.* Item D. Thomas in 2. dist. 25. quæst. 1. art. 1. ad 2. sic discutit: *Ad rationem liberi arbitrij non pertinet ut indeterminatè se habeat ad bonum vel ad malum: quia liberum arbitrium per se in bonum ordinatum est; cum bonum sit objectum voluntatis, nec in malum tendat, nisi propter aliquem defectum, quem apprehendit ut bonum, cum non sit voluntas aut electio nisi boni, aut apparentis boni: & ideo ubi perfectissimè est liberum arbitrium, ibi in malum tendere non potest. Sed hoc ad libertatem arbitrij pertinet, ut actionem aliquam facere vel non facere possit: & hoc Deo convenit; bona enim quæ facit, potest non facere; nec tamen malum facere potest. Quibus verbis S. Doctor hoc inter indifferentiam contradictionis ad agendum & non agendum, & indifferentiam contrarietatis ad bonum & malum statuit discrimen, quod prima pertinet ad rationem libertatis, non verò secunda. De quo plura diximus in Tractatu de actibus humanis.*

## DISPUTATIO II.

## De Hæresi Semipelagiana.

Capta est vulpes illa astutissima, Pelagianorum videlicet nefanda pravitas, quæ Christi vineam demolicbatur: sed alias post se vulpetulas reliquit malitiæ suæ æmulas: teterima hæc hydra nova capita extulit, dum Semipelagianorum insaultam sobolem Pelagij hæresis parturit. Unde explicatis Pelagianorum erroribus in materia de gratia & libertate, consequens est, ut dogmata Semipelagianæ hæresis declaremus, quæ Pelagiani erroris particula dici potest, sicut Pelagij hæresis, *Origenis ramusculus*, à D. Hieronymo appellata est.

Tom. IV.

## ARTICVLVS PRIMVS.

## Origo Semipelagianæ hæresis describitur.

Occasione scriptorum D. Augustini contra Pelagianos, tres errores circa gratiam & prædestinationem orti sunt; duo in Africa, & unus in Gallia; ut non obscure significat Prosper in Epistola ad Augustinum, præfixa libro de prædestinatione Sanctorum; ubi dicit, nonnullos in Africa jam antea turbatos fuisse iis quæ ille scripserat de prædestinatione; sicut jam multi ceperunt iisdem moveri in Gallia.

Primus error fuit Monachorum Adrumetinorum, qui ut refert D. Augustinus lib. 2. retract. cap. penultimo, Ieslâ ejus Epistolâ 105. ad Sixtum, duas in partes divisi sunt; quarum una, duce Florentio, credebat gratiam Dei à Divo Augustino ita prædicari, ut tolleretur libertatem arbitrij, & correptionis necessitatem; altera verò pro liberi arbitrij defensione pugnabat: quam dissensionem S. ille Doctor ut tolleretur, scripsit duas Epistolas ad Valentinum Adrumetini monasterij præfectum, ejusdemque Monachos, quæ sunt inter Augustinianas 46. & 47. totidemque libros, unum de gratia & libero arbitrio, alterum de correptione & gratia: quibus disertè ostendit, per efficaciam divinæ gratiæ non tolli libertatem arbitrij, neque necessitatem aut utilitatem correptionis: quia istâ Deus utitur tanquam medio extrinsecus adhibito, & moraliter excitante, dum intus bonam voluntatem in corde hominis operatur, & facit ipsum de nolente volentem, & de repugnante consentientem. Ita, ut dixi, refert Augustinus lib. 2. Retract. cap. 66. ubi sic ait: *Propter eos qui cum defenditur Dei gratia, putant auferri liberum arbitrium, scripsi librum de gratia & libero arbitrio. Ad eos autem scripsi Monachos Adrumetinos, in quorum monasterio de hac re ceperat esse contentio, ita ut me consulere eorum aliqui cogerentur. Rursus ad eosdem scripsi alterum librum, quem de correptione & gratia prænotavi, cum mihi nuntiatum esset, dixisse ibi quemdam, neminem corripiendum, si Dei præcepta non facit, sed pro illo ut faciat tantummodo orandum. Hoc ergo inter Pelagium & Adrumetinos Monachos discriminis fuit, quod Pelagius necessitatem & efficaciam gratiæ excluderat, ut servaret libertatem arbitrij: illi verò negabant libertatem arbitrij, ut gratiam efficacem & prædestinationem gratuitam, quam Augustinus docebat, tuerentur.*

Secundus error, occasione scriptorum S. Augustini ortus, est Prædestinarianorum, qui, ut refert Sigebertus in Chronico, anno 415. videntes Augustinum affirmare, gratiam Dei non modò necessariam esse ad piè vivendum, sed etiam gratis dari & absque ullo merito præcedente, secundum Dei consilium, & propositum suæ voluntatis, per illamque nos discerni; ac denique sic de illa loqui, ut videretur totum salutis nostræ negotium in divinam electionem & prædestinationem rejicere; existimarunt liberum arbitrium per gratiam tolli, hominesque per illam solam sine voluntaria obedientia salvari; & pariter peccatores vi solius divinæ reprobationis damnari; neque mala opera obesse illis qui prædestinati sunt, neque bona prodesse reprobis. Quæ hæresis damnata fuit in Concilio Arelateni triginta Episcoporum, anno, ut vult Baronius 490. &

B iij

ad illam respexisse videtur Arausica Synodus secunda, can. 15. dum dixit: Hoc secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati (Christo auxiliante & cooperante) que ad salutem pertinent, possint & debeant (si fideliter laborare voluerint) adimplere. Aliquos vero ad malum divinâ potestate predestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione, illis anathema dicimus.

3. Scio quidem Iansenium lib. 8. de hæresi Pelag. cap. ultimo, enixè contendere, nullam unquam fuisse Prædestinationum hæresim, eamque quam Sigebertus, & alij eum secuti, hoc nomine indigitarunt, nihil aliud esse quam veram Augustini, Prosperi, Hilarii, & aliorum gratiæ defensorum de Prædestinatione gratuita doctrinam, quam Semipelagiani hæresis non infamarunt: quod & prius docuerat Jacobus Usserus, insignis Calvinista Hibernus, qui anno 1621. librum edidit Dublini, hoc titulo inscriptum: *Gotteschalci & prædestinatio controversia ab eo mota historia*. Verum, præterquam quod in prædicto Arelateni Concilio, Epistola Fausti ad Lucidum, quæ exprimitur & anathematizantur Prædestinationum errores, approbata fuisse dicitur, & Episcoporum subscriptione munita, ut refert Baronius anno Christi 490. ejusdem insuper hæresis prædestinatio meminerat Hincmarus in Epistola ad Nicolaum Papam, & Prosper Tiro in Chronico Pithecano, id est Pitheci curâ edito ex codice Bibliothecæ sancti Victoris Parisiensis; & Gennadius Massiliensis in appendice ad librum S. Augustini de hæresibus, ubi ad octoginta novem ab ipso Augustino enumeratas, quatuor postea exortas addidit, Prædestinationam, Nestorianam, Eutychianam, & Timotheanam, ut testatur Hincmarus lib. de prædest. cap. 11. habeturque etiam hic appendix in codice Bibliothecæ S. Victoris Parisiensis.

4. Tertius error, præcedentibus extremè oppositus, cæpit in Gallia apud Massiliam, in ipsa ferè ultima D. Augustini ætate, occasione libri de correptione & gratia, quem Sanctus Doctor conscripserat, ut Monachos Adrumetinos instrueret. Cum enim quidam Massilienses Presbyteri, & Galliæ Episcopi, in eo libro legissent quæ de proposito divinæ voluntatis & prædestinationis (quo salvandi à perituris discernuntur) & de efficacia divinæ gratiæ (quæ indeclinabiliter & insuperabiliter agitur voluntas nostra) Augustinus docet, maximè turbati & scandalizati sunt; & unde Africani plenius instructi, suum deposuere errorem, exinde Galli novæ lucis aspectu excecati sunt, & in errorem adducti, ut testatur Prosper in Epistola ad Augustinum in principio, ubi sic ait: *Multi servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt, in Sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti. Et cum aliquandiu tarditatem suam culpæ maluerint, quam non intellecta reprehendere, quidamque eorum lucidiorum super hoc atque apertiorum Beatitudinis tuæ expositionem voluerint postulare, evenit ex dispositione misericordiæ Dei, ut cum quosdam intra Africam similia movissent, librum de correptione & gratia, plenum divinæ auctoritatis emitteres. Quo in notitiam nostram, in sperata opportu-*

nitate delato, putavimus omnes querelas resistentium sopiendas: quia universis questionibus, de quibus consulenda erat Sanctitas tua, tam plenè hic absoluteque responsum est, quasi hoc specialiter studueris, ut quæ apud nos erant turbata componeres. Recensito autem hoc Beatitudinis tuæ libro, sicut qui Sanctam atque Apostolicam doctrinam tuam auctoritatem antea sequebantur, intelligentiores instructioresque sunt facti; ita qui persuasionis suæ impediabantur obscuro, aversiores quam fuerant recesserunt.

Qui igitur in Gallia clariùs explicatam S. Augustini doctrinam libro de correptione & gratia, adhuc duriorum habebant, novum explicandi mysteria gratiæ & prædestinationis modum inveniunt, quo inter Pelagium & S. Augustinum medij, neque in damnatum ab Ecclesia errorem cum Pelagio declinare, neque fatum cum S. Augustino, fatalemque necessitatem proferre videantur. Nam ut à Pelagio se quàm longissimè distantes exhibeant, consentiunt humanam naturam, Ad peccato corruptam, solâ Christi gratiâ posse reparari. Item consentiunt non solum gratiam Christi necessariam esse, quæ per baptismum præterita peccata dimittat, sed etiam quæ hominis voluntas preveniatur, & ad quodcumque opus bonum vel incipiendum vel perficiendum adjuvetur. Unde S. Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum ad Prosperum & Hilarium cap. 1. dicit: *Pervenerunt isti fratres nostri, pro quibus sollicita est pia charitas vestra, ut credant cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo nisi per justitiam secundi hominis aliquem liberari. Pervenerunt etiam ut preveniri voluntates hominum Dei gratiâ fateantur, atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant. Retenta ergo ista in qua pervenerunt, plurimum eos à Pelagianorum errore discernunt. Sententiam verò D. Augustini de gratia & prædestinatione sic temperari volunt, ut Deus universali vocatione omnes pariter ad finem & baptismum invitet, sed vis & efficacia hujusmodi vocationis ex humana pendeat voluntate; ut quicumque credere voluerit, & baptizari, eo merito quo voluerit, & ipsius fidei augmentum, & perfectæ sanctitatis consequatur effectum. Unde volunt gratiam non esse necessariam ad initium salutis, id est ad voluntatem credendi, ipsamque fidem initialem; neque ad petendum, quærendum, pulsandum, &c. sed vires naturales liberi arbitrij ad hoc sufficere; atque ex talibus initiis pendere cardinem differentiarum eorum, qui vocantur, aut non vocantur efficaciter ad fidem & salutem, quippe ab æterno fuerunt à Deo electi & prædestinati, vel è contrario reprobati: nimirum quia Deus efficaciter vocat eos qui præviis hujusmodi initiis, tanquam meritis humanis, vocari meruerunt: & quos præcavit hæc initia habituros, suæque gratiâ benè usus, prædestinavit, rejectis aliis omnibus, in quibus eiusmodi initia naturalia, & bonum usum gratiæ, liberique arbitrij cooperationem, non prævidit. Hæc (inquit Prosper Epistola ad Augustinum) ipsorum definitio ac professio est: omnem quidem hominem Adam peccante peccasse, & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari: universis tamen hominibus præpotationem quæ est in sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, ut quicumque ad fidem & ad baptismum accedere voluerint, salvi*

esse possint : qui autem credituri sunt , quive in ea fide , quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda , mansuri sunt , præscisse ante mundi constitutionem , & eos prædestinasse in regnum suum , quos gratis vocatos , dignos futurâ electione , & de hac vita bono sine excessibus esse præviderit : ideoque omnem hominem ad credendum & operandum divinis institutionibus admoneri , ut de apprehendenda vita æterna nemo desperet , cum voluntaria devotioni sit parata . Similiter Hilarius Epistolâ ad Augustinum : Consentiunt omnem hominem in Adam periisse , nec inde quemquam posse proprio arbitrio liberari : sed id conveniens asserunt veritati , ut cum prostratis & nunquam suis viribus surrecturis annuntiantur obtinende salutis occasio , eo merito quo voluerint & crediderint à suo morbo se posse sanari , & ipsius fidei augmentum , & totius sanitatis suæ consequantur effectum .

Itaque Massilienses in multis à doctrina Pelagij abhorrentes , in aliquibus tamen ei adhaerere , præsertim in eo quod dicebat primam gratiam & vocationem ex meritis bonæ voluntatis dari ; & propter hoc , *Semipelagianis* , seu reliquia Pelagianorum , dicti sunt : licet S. Thomas communi nomine eos Pelagianos appellet , ut patet 2. 2. quæst. 6. art. 1. & 1. parte quæst. 23. art. 5. ubi ait : Pelagianos posuisse initium bonæ faciendi ex nobis , consummationem autem ex Deo . Et 3. contra Gentes cap. 149. dicit Pelagianorum errorem fuisse , auxilium meritis gratiæ esse ex nostro merito , ac proinde initium justificationis esse ex nobis , consummationem autem ex Deo . Item quodlibeto 1. art. 7. inquit : Ad errorem Pelagianorum pertinet dicere , quod homo possit se ad gratiam præparare absque auxilio divinæ gratiæ .

## ARTICULUS II.

*Præcipua Semipelagianorum dogmata recensentur.*

**P**Ræcipua Semipelagianorum dogmata , quæ in Epistolis Prosperi & Hilarij ad Augustinum sæpe citatis describuntur , ad quatuor præcipua capita reduci possunt : primum respicit prædestinationem , secundum tangit vires liberi arbitrij , tertium spectat ad initium fidei , quartum ad donum perseverantiæ : ex quibus quatuor capitibus varia corollaria , tanquam errores ex erroribus , deducebant , ut verificaretur quod de corpore Behemot , seu diaboli , legitur Job 41. Corpus ejus quasi scuta fusilia , compactum squamis se prementibus ; una uni conjungitur , & ne spiraculum quidem incedit per eas .

## §. I.

*Quid de prædestinatione Semipelagiani docuerint ?*

6. **N**omen prædestinationis dupliciter usurpari potest ; primò largè pro quocumque decreto seu constitutione efficaci Dei circa actus nostros ; secundò stricte pro transmissione efficaci hominum ad gloriam : qui est frequentior usus illius nominis apud Theologos . De prædestinatione primo modo sumpta dicebant Semipelagiani , ipsam non prævenire voluntates nostras : quia alias humana libertas tolleretur , & fatalis quædam necessitas induceretur . Constat hoc dictum , primò ex verbis Prosperi referentis eorum errores in Epistola citata ad Augustinum , ubi sic ait :

**A** Removeri dicunt omnem industriam , tollique virtutes , si Dei constitutio humanas præveniat voluntates ; & sub hoc nomine prædestinationis , fatalem quandam necessitatem induci . Unde in Epistola ad Rufinum , sic loquitur de Massiliensibus : Scripta Augustini , quibus error Pelagianorum impugnatur , infamant , dicentes eum liberum arbitrium penitus dimovere . Secundò id patet ex Fausto , Semipelagianorum Antesignano : nam ille lib. 1. de libero arbitrio cap. 4. doctrinam Augustini ( suppresso tamen ejus nomine ) impugnans , sic ait : Sub pietatis fronte gentilitatis malum , & inter gratiæ vocabulum , absconditum erit FATALE DECRETUM . Et cap. 12. Recedat ( inquit ) hinc originalis definitio , VEL FATALIS .

**B** De prædestinatione verò secundo modo accepta in primis asseriebant , eam non esse purè gratuitam , sed dependentem à præscientia meritum ; neque certam ex se & ab intrinseco , sed ex præscientia quâ Deus prævidet quid unusquisque facturus est , quive bono vel malo fine ex hac vita discessuri sint . Hoc etiam patet , tum ex verbis Prosperi initio Epistolæ ad Augustinum , ubi de Massiliensibus ait : Qui autem credituri sunt , quive in ea fide , quâ deinceps per Dei gratiam sint juvandi , mansuri sunt , præscisse dicunt ante mundi constitutionem Deum , & eos prædestinasse in regnum suum , quos gratis vocatos , dignos futurâ electione , & de hac vita bono sine excessibus præviderit . Tum etiam ex Fausto lib. 2. de gratia & humanæ mentis arbitrio , ubi hæc scribit : Aliud est præscire , aliud prædestinare : præscientia gerenda prænoscit , postmodum prædestinatio retribuenda describit ; præscientia de alieno subsistit actu , prædestinatio de judicio suo ; à præscientia quæ sunt nostra produntur , à prædestinatione quæ sunt præparantur ; ac per hoc nisi præscientia exploraverit , prædestinatio nihil decernit . Unde Prosper in sua Epistola inter alia consultit Augustinum : An per præscientiam possit stare propositum , an verò præscientia quodam ordine sit subnixæ proposito ? Id est an efficacia & infallibilitas divini decreti hominibus gloriam præparantis , fundetur in præscientia operum futurorum , vel potius hujus scientiæ certitudo & infallibilitas , ex firmitate & efficacia divinatorum decretorum derivetur ?

**C** Nec solum futurorum absolutorum præscientiâ utebantur ad mysterium prædestinationis explicandum , sed etiam scientiâ conditionatorum : cum enim contra id quod asseriebant , Deum non dare dona suæ gratiæ , nisi supponendo ex parte hominis initium aliquod bonæ voluntatis , præmerentur à Catholicis exemplo parvulorum , qui cum sint peccato originali adstricti , nec in illis possit esse ullum initium bonæ voluntatis , quidam tamen baptismum recipiunt , alij verò sine illo decedunt ; respondebant ( ut refert idem Prosper ) Tales perdi , talesque salvari , quales futuros illos in annis majoribus , si ad adultam pervenissent ætatem , scientia divina præviderit . Similiter cum urgebantur exemplo adultorum , & quærebatur ab ipsis , cur istis & non illis Evangelium prædicetur ? Id non in divinæ beneplacitum voluntatis rejiciebant , sed in fidem , & in opera eorum conditionatè à Deo præscita ; ita ut Deus procurer istis Evangelium prædicari , quia eos præscit credituros si audiant ; aliis verò non , quia præscit eos non credituros . Vel ut loquitur D. Prosper : Dicebamus dispensasse Deum tempora & ministeria prædicationis , juxta quod prævidebat aliquos credituros , & exorinam esse bonarum .

*credulitatem voluntatum.* Et hoc modo Prædeterminationem hæresim putabant excludere, tollendo scilicet antecedentiam & efficaciam divinæ voluntatis, & recurrendo ad præscientiam absolutam vel conditionatam futuri consensûs voluntatis humanæ.

9. Aliud doctrinæ Massiliensium dogma erat, prædeterminationem non esse ita infallibilem, quod non posset numerus prædeterminatorum minui, vel augeri, & perseverantia semel donata, de facto amitti: *Nec acquiescunt* (inquit Prosper citatâ Epistolâ) *prædeterminatum electorum numerum nec augeri posse nec minui, ne locum apud infideles & negligentes cohortationum incitamenta non habeamus.* Et Hilarius in Epistola etiam ad Augustinum: *Inde est quod & illud pariter non accipiunt, ut eligendorum rejiciendorumque esse definitum numerum velint.*

10. Item assererebant (ut Prosper & Hilarius in iisdem Epistolis referunt) quantum ad Deum pertinet, paratam esse æqualiter omnibus vitam æternam; quantum autem ad arbitrij libertatem, ab eis eam apprehendi, qui Deo sponte credunt, & auxilium gratiæ merito credulitatis accipiunt.

11. Denique in Augustini de prædeterminatione & reprobatione doctrinam acriter invehebantur, & dicebant eam fatum inducere, arbitrij libertatem auferre, gignere desperationem in peccatoribus, otium & ignaviam in Sanctis, orationis studium extinguere, laudem bonis operibus detrahere, & homines ad licentiam & dissolutionem vitæ incitare; addebantque, ea quæ de vocatione electorum secundum propositum, & gratuita prædeterminatione, idem S. Doctor contra Pelagianos disputans scripserat, Ecclesiastico sensui, & Patrû qui eum præcesserant opinioni esse contraria; ut patet ex Epistolis Prosperi & Hilarij sæpe citatis, & ex libris Fausti Regiensis de libero arbitrio: *Multi* (inquit Prosper) *qui in Massiliensi urbe constunt, Sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant. Parum opinioni & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti &c.*

Ex his Semipelagianorum dogmatibus, quædam sunt hæretica, & ab Ecclesia damnata; alia non sunt erronea, sed ab Ecclesia tolerata.

#### §. II.

*Quid de viribus liberi arbitrij, initio fidei, & postrema in fide & sanctitate perseverantia, Semipelagiani senserint?*

12. Totius controversiæ inter Augustinum & Massilienses fundamentum & cardo erat, utrum à Deo vel ab homine capienda sint bene beatæque vivendi primordia; uter scilicet auctor & architectus sit homo, an Deus? Ille Dei causam & gratiæ agebat; hi partes hominis & liberi arbitrij sustinebant: ille Deo sortem hominis committebat; hi ex infirma libertate pendere volebant: fortis ille & invictus gratiæ defensor, voluntatem humanam divinæ humiliter subiciebat; libertatē isti superbâ impietate præferebant, ac de liberi arbitrij viribus nimis altè sentiebant. Etenim ut refert Hilarius in Epistola ad Augustinum, in voluntate nostra vires ad bene operandum distinguebant à viribus ad bene desiderandum, petendum, credendū &c. quæ pertinent ad initium bonæ operationis; addebantque quod

A voluntas nostra, dum esset integra ante lapsum, poterat non solum petere & desiderare, sed etiam bene velle & operari, adeoque quod tunc gratia adjuvabat hominem bene volentem & operantem, seu bonam ejus voluntatem: corruptâ tamen per peccatum originale naturâ, non remanere volebant in nobis vires ad bene operandum, & rectè volendum (quæ sunt operationes hominis sani) sed tantum ad desiderandam salutem, & petendum remedium; & has vires dicebant esse semina quædam virtutum naturaliter insita animæ nostræ. Et quia nemo potest desiderare salutem, & eam petere, nisi prius credat Salvatorem, ideo etiam credulitatis affectum ex nostra voluntate esse, gratiamque Christi antecedere affirmabant: sicut æger licet non habeat vires ad ambulandum, & faciendum alia opera hominis sani, potest tamen desiderare salutem, & querere medicum, ac petere medicinam. Unde ista initia bonæ voluntatis, non in solo credulitatis affectu, sed etiam in petitione, pulsatione, desiderio sanitatis, & similibus actibus imperfectis constituebant; dicebantque illa in hominibus præquiri, ut Deus gratiam ad credendum, sperandum, diligendum, alios actus perfectos eliciendos, tribuat; adeoque gratiam Dei non fovere nisi hominem jam appetentem bona, ita quod prior sit obedientia nostra, quam Dei gratia, nostrasque Deus expectet voluntates, ut purgari & sanari velimus, non autem per suam gratiam efficiat ut sanitatem animæ quæramus ac desideremus. Idque assererebant, tum ne Deus videatur injustus, & personarum acceptor, quosdam suâ gratiâ præveniendos, alios verò relinquendo ac spernendo: tum etiam ne naturalis arbitrij nostri libertas, & inclinatio ad bonum, per originale peccatum omnino extincta videatur, si nequidem sanitatem suam homo ex se possit desiderare, ac petere, opemque medici implorare. Unde Hilarius in Epistola ad Augustinum de Massiliensibus ait: *Conveniens asserunt veritati, vel congruum predicationi, ut cum prostratis, & nunquam suis viribus surrecturis, annuntiarum salutis obtinenda occasio, eo merito quo voluerint & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanctitatis sue consequantur effectum.*

Quod autem de inchoatione fidei, hoc etiam de in ea usque ad finem perseverantia dicendum esse putabant, nimirum utramque humanæ voluntati pariter adscribendam, ut asserit D. August. lib. de dono persev. cap. 17. ubi ait: *Hi initium fidei, & usque in finem perseverantiam, sic in nostra constituti potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates: cætera verò ipsum dare concedunt, cum ab illo impetrantur credentis fide. Et inferiùs: Sed hæc, inquirunt, ut à Deo dentur nobis, fides impetrat, quæ incipit à nobis: quam fidem & incipere habere, & in ea usque in finem permanere, tanquam id non à Domino accipiamus, nostrum esse contendunt. Et iterum nonnullis injectis: Ad sola illa exhortantur dona, quæ non à Deo dari, sed à nobis esse contendunt, sicut sunt initium fidei, & in ea usque ad finem perseverantia. Hinc apud S. Prosperum, fidem & perseverantiam in fide, ad præscientiam, non ad prædeterminationem revocabant, dicentes: *Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt, Deum præcisse ante mundi constitutionē, & eos prædestinasse.**

Errabant

Errabant etiam circa perseverantiam in virtutibus, & earum operibus, quam licet faterentur inter Dei dona connumerari, nullum tamen volebant dari perseverantiæ donum, quo fieret ut sancti & prædestinati certo & infallibiliter perseverarent, seu quo non nisi bene operantes, ac in bonis operibus perseverantes essent; quale docet Augustinus cap. 11. & 12. libri de correptione & gratia. Ita refert Hilarius in Epistola ad Augustinum, ubi de Massiliensibus scribit: *Deinde molestè ferunt ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam, non quæ fieret ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset; nunc verò sanctis in regnum per gratiam prædestinatis, non tale adiutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa doneatur; non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. His verbis sanctitatis tuæ (lib. de corrept. & gratia cap. 11. & 12.) ita movetur, ut dicant quandam desperationem hominibus exhiberi. Ex quo patet quod licet illi hæretici auxilium sufficiens & voluntati subditum, quo voluntas potest operari si velit, libenter admitterent, auxilium tamen de se & ex natura sua efficax, quod subijcit sibi voluntatem, & eam ad agendum applicat, ac infallibiliter cum actu coniungit, omnino repudiabant: quia falsò existimabant cum tali auxilio libertatem & indifferentiam voluntatis nostræ non posse componi. Unde dicebat Vitalis Semi-pelagianorum præcursor, ut refert Augustinus Epistola 107. *Operari Deum, quantum in ipso est, ut velimus, cum nobis nota sunt ejus eloquia; sed si eis acquiescere nolumus, nos ut operatio ejus nihil nobis prodest efficiamus: quod est ponere gratiam Dei, ut effectum habeat, seu ut efficax sit, dependere à nostra voluntate. Quod ibidem impugnat Augustinus, subdens de ipso Vitali: Quæ si dicis, profecto nostris orationibus contradicis: & fusiùs libro de correptione & gratia cap. 14. ubi sic ait: Deo volenti saluum facere nulum humanum resistit arbitrium: sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem. Extat etiam in eodem libro cap. 12. versùs finem, præclarissimum ejusdem S. Doctoris testimonium, quo, etiam supposito auxilio sufficienti, sine quo non potest aliquis perseverare, adhuc tamen requirit operationem Dei, quæ infallibiliter succedat voluntas, asseritque non relinqui in ejus arbitrio, ut si velit, maneat, si verò nolit, non maneat. Do aurea ejus verba: Tantum quippe Spiritui Sancto accenditur voluntas eorum (scilicet Sanctorum) ut idèd possint, quia sic volunt; idèd sic volunt, quia Deus operatur ut velint: nam si in tanta infirmitate vite hujus ipsis relinqueretur voluntas sua, in adiutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellet, nec Deus in eis operaretur ut vellet, inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet: & idèd perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellet; aut non ita vellet infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humana, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur: & idèd quamvis infirma; non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur. Quo nihil clarius & expressius dici potest, ad docendum dari auxilium efficax, à sufficienti distinctum, quo aliquis non nisi operans aut perseverans sit; quamvis sub ejus**

Tom. IV.

A efficacia & infallibilitate voluntas retineat potentiam ad non agendum, vel ad non perseverandum; subindeque cum ejus libertate & indifferentia actuali tale auxilium compossibile sit.

## ARTICVLVS III.

*An Semi-pelagiani initium fidei & bonæ voluntatis in nuda natura posuerint, vel gratiam aliquam internam, sed non idoneam, ei adjunxerint?*

Certum est, omnes Semi-pelagianos in eo convenisse, ut initium fidei & bonæ voluntatis à nobis in nobis esse dicerent: ut patet tum ex Epistolis Prosperi & Hilarii ad Augustinum; tum ex ipso Augustino in libris de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ quibus ad Epistolas Prosperi & Hilarii respondet. Sed difficultas est, & controversia inter Theologos, quâ ratione illi hæretici initium fidei & salutis ex nobis esse existimarent: duobus enim modis id esse potuit; primò ut illud initium fieret à sola natura, sine ullo adiutorio gratiæ interioris: secundò ut initiales illi actus cum aliqua gratia fierent; quæ tamen talis esset, ut indifferenter se habens, & moraliter tantum excitans, maneret in potestate voluntatis, quæ eâ uteretur vel non uteretur pro arbitrio suo. Hic est controversiæ cardo: in qua Jansenius lib. 8. de hæresi Pelagiana sentit, Semi-pelagianos non in ipsa natura, omni destituta gratiâ, sed adjuncta eâ tantum quæ daret posse, non verò operari, initium fidei & bonæ voluntatis posuisse, atque adeò eos gratiæ adiutorium non negasse, sed quod non satis esset induxisse. Econtra Patres Societatis censent, eos in nuda natura, omni gratiæ auxilio carente, initium fidei & meriti collocasse, neque ad id ullum, qualecunque id foret, gratiæ adiutorium invexisse. Alij verò docent, inter Semi-pelagianos, aliquos omnem profusus gratiam ab initio fidei & meriti removisse; alios talem admisisse, quæ cum esset purè indifferens, & liberi arbitrij determinationem non caufaret, sed expectaret, locum adhuc naturali merito relinqueret. Ita Franciscus à Sancto Augustino Macedo, Franciscanus, in opusculo cui titulus est: *Mens divinitus inspirata Sanctissimo Patri Domino nostro Innocentio Papa X. super quinque propositiones Cornelij Jansenij*, art. 5. ubi censuram quartæ propositionis exponit.

Hæc sententia videtur verior & probabilior: In primis enim quòd essent aliqui Semi-pelagiani, qui Pelagianis similes, fidei & bonæ voluntatis initium in nuda natura ex integro ponerent, apertè colligitur ex Epistola Prosperi ad Augustinum, ubi sic ait: *Quidam verò horum in tantum à Pelagianis semitis non declinant, ut cum ad consequendam eam Christi gratiam, quæ omnia præveniat merita humana, cogantur, ne si meritis reddatur frustra gratia nominetur, ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua cum nihil prius merentem, quia nec existentem, liberi arbitrij, & rationalis gratia infundatur, ut per discretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum ejus posset suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam quæ in Christo renascimur pervenire: per naturalem scilicet facultatem petendo, querendo, pulsando; ut idèd accipiat, idèd inveniat, idèd introeat, quia bono nature bene usus, ut ad istam salvantem gratiam, initialis gratia ope meruerit pervenire. Qui*

C

bus verbis significat aliquos Semipelagianorum, convictos Scripturæ testimoniis, quibus probatur gratiam præcedere fidem, & quidquid aliud ad salutem pertinet, recurrisse ad evasionem Pelagij, abutentis nomine gratiæ, & per illud intelligentis naturale donum creationis, liberique facultatem arbitrij, quam, *gratiam initialem* appellabant, de qua illa Scripturæ testimonia sibi objecta intelligi volebant. Et contra illos esse videtur Canon ille Arausicanæ Synodi, quo dicitur: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, & pulsantibus nobis, misericordiam conferri dicit, &c.*

17. Deinde quod essent alij ex Semipelagianis, qui naturæ gratiam adungerent, sed eam talem, ut subiecta arbitrio ab eo penderet, ejusque nutui obediret, ac omnino pedissequa voluntatis esset, multipliciter suaderi potest. Primò ex eodem Prospero in eadem Epistola, ubi de Semipelagianis ait: *Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem non præviā humanorum volunt esse meritum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præventas.* Ubi à Semipelagianis admittitur gratia comes, non prævia, quæ humana merita fiant, & quæ ex præscientia cooperationis destinata sit à Deo, ut patet ex verbis præscientiam Dei &c. Sed hæc gratia sanè prima est, & fidei gratia; nam adjicit: *secundum quam gratia vocantis operetur.* Ergo ad initium fidei aliqui ex Semipelagianis gratiam admittiebant, comitem, non præviā; quia ex arbitrio pendente, & voluntati subiectam faciebant. In hoc argumento (inquit Macedo) Achyllem invenisse me puto, non illum in Lycomedis Regia fractum, sed in Troico pulvere invictum.

18. Aliud ejusdem Authoris argumentum sumitur ex Epistola Hilarij, ubi proponitur querela Semipelagianorum de divisione gratiæ sufficientis & efficacis, sub nomine adjutorij *sine quo*, & adjutorij *quo*, quam tradidit Aug. lib. de corrept. & gratia cap. 11. & 12. Nam ab ista divisione, ad perseverantiam primum, mox ad initium etiā conversionis accedunt: & de utroque queruntur, nempe quod tale auxilium Augustinus ponat, ut eo efficiatur & perseverantia, & initium, nolique ut adjutorio *sine quo* Adami integri utrumque fiat. In quo (ait Macedo) manifestè apparet, hos querulos non excludere omnem gratiam à perseverantia, & ab initio fidei & conversionis, sed eam tantum quæ efficax esset, minimè verò quæ esset in potestate voluntatis, & ejus nutui obediret; cum hac enim stare putabant initium illud meriti naturale, libertatem arbitrij, & comminationis ac exhortationis utilitatem; quæ tolli dicebant per illud adjutorium quo, seu gratiam de se efficacem, quam Augustinus docebat.

19. Tertium argumentum sumitur ex Gennadio libro de Ecclesiasticis dogmatibus, ubi hæc scribit: *Manet itaque ad querendam salutem arbitrij libertas, id est rationalis voluntas; sed admonente prius Deo, & invitante ad salutem, ut vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est inspiratione.* Et inferius: *Initium ergo salutis nostra Deo miserante habemus: ut acquiescamus SALVIFERÆ INSPIRATIONI, nostra potestatis est; ut adipiscamur quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini est muneris.* Ubi pro initio salutis admittit salutiferam inspirationem, subindeque gratiam moraliter excitantem. Sed ille author fuit Semipela-

A gianus, & unus ex Presbyteris Gallicanis, de quibus Prosper & Hilarius apud Cælestinum Papam conquesti sunt quod Augustini doctrinæ adversarentur, ut tradit Baronius anno 490. num. 45. & nos infra ostendemus: Ergo aliqui ex Semipelagianis & Presbyteris Galliæ, qui Augustini doctrinam impugnabant, & de quibus Prosper & Hilarius in suis Epistolis mentionem faciunt, admiscere gratiam internam pro initio salutis, & bonæ voluntatis Unde Cassianus Collat. 13. cap. 3. scribit, *Non solum actionum, sed etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ rectè cupimus tribuit peragendi.* Et Collat. 3. cap. 3. sic loquitur: *Inspiratio in cor immittitur, quæ dormientes ad desiderium salutis exsuscitat; quæ Deum se qui saluberrimā compunctione exhortatur.* Verum ille, ut infra patebit, non fuit constans in hac doctrina. Unde Prosper contra Collatorem cap. 3. dicit, *Eum definitionis suæ oblitum, citò à sententia defecisse.*

Quartum argumentum sumitur ex Augustino, quem fuisse in errore Semipelagianorum initio suæ conversionis ante Episcopatum, quantum ad hoc quod credidit initium salutis, ipsam præcipue credendi voluntatem, esse à nobis, & à natura, non verò à gratia, patet ex ipsomet, lib. de prædest. Sanct. cap. 3. & lib. 83. questionum, quæst. 68. quem librum scripsit à primo suæ conversionis tempore, ut monet lib. 1. Retract. cap. 26. dicit enim ibi formaliter, *quod parum est velle, nisi Deus misereatur: sed Deus non misereatur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit.* Hanc verò voluntatem, quam dicit præcedere misericordiam Dei, asserit adhuc esse à Deo per gratiam, non solum extrinsecus adjuvantem, sed etiam intrinsecus vocantem. Verba ejus sunt: *Quoniam nec velle quisquam potest nisi admonitus & vocatus, sive intrinsecus ubi nullus hominum videt, sive extrinsecus per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia, efficitur ut etiam ipsum velle operetur in nobis.* Ex quibus verbis liquet Augustinum in Semipelagianorum errore existentem, agnovisse internam vocationem, gratiamque moraliter excitantem, pro ipso etiam fidei & bonæ voluntatis initio, subindeque omnes Semipelagianos pro initio fidei talem gratiam non repudiasse nec exclusisse.

Ratio etiam id suadet: nulla enim erat causa seu ratio, quæ illos ad talem gratiam rejiciendam movere posset; cum per illam omnes eorum difficultates de fatalitate per gratiam invecita, de impedito usu libertatis, & necessitate inducta, de inutilitate orationis, correptionis, exhortationis &c. facillimè solverentur: quia gratia moraliter tantum excitans est in potestate voluntatis, ac ejus nutui flexuque subiecta, ejusque determinationem non causat, sed ipsam potius à libero arbitrio emendicat & expectat. Unde cum determinatio voluntatis ad credendum sit initium fidei, licet talis gratia admittatur, nihilominus stat dari in nobis quædam initia fidei & salutis, quæ non à gratia, sed à natura, neque à Deo, sed à libero arbitrio proveniant. De quo plura diximus in Tractatu de actibus humanis.

Ultimum argumentum, quod fuscè prosequitur Franciscus Macedo loco citato, sumptum est ab exemplo quorundam Hæreticorum hujus temporis, qui Semipelagianismum renovarunt, & qui Pelagi-calvinista nō incongruè appellari possunt.

Art. 5. §. 2.

20.

21.

Disp. 4. Art. 2. §. 2.

Hi sunt Sociniani & Arminiani in Hollandia: inter quos aliqui in nudis naturæ actibus; alij in natura adjuncta solâ gratiâ sufficiente, voluntati subditi, & ejus determinationem & nutum expectante, initium meriti & salutis constituunt.

21. Verba hujus Authoris sunt: *Qui hodie Semi-pelagianismum profitentur, partim cum Pelagianis in nudis naturæ actibus (cujusmodi sunt Sociniani & Remonstrantes) partim in natura, adjuncta solâ communi & indifferenti gratiâ (quales sunt Arminiani) initium fidei ponunt: ac utrique suam ipsam rationibus tuerentur sententiam, quibus olim Semi-pelagiani mixti & puri suam tuebantur: nam mixti electionem Dei prædestinantis in quadam naturali probitate, quæ in ipsis electis ad credendum erat adjuncta natura præstidii, & prævisa fuerat à Deo, fundant, ac eâ tradunt discerni à reprobis prædestinatos. Ita docent Remonstrantes in articulis Synodaliibus art. 1. de prædestinatione, ubi cum Socino fidei semen in natura locant, quam naturalem vocant probitatem, quæ est ratio eligendi. Puri autem admittunt omnino gratiâ quâdam communi, quæ sit in potestate voluntatis, & ab ejus flexu motuque trahatur credendi initium, quod à Deo prævisum, electionis fundamentum esse volunt, non sine ea fieri contendunt. Sic Arminius in declarat. Sentent. & in responsione ad articulos sibi & Adriano Borreo falsò impositos &c. Ad id paulò post: Diligentissimè lecto Arminio, comperi nusquam ipsum in nuda natura initium illud fidei, quod omnino ad electionem requirit, collocare: imò semper gratiâ communi, & quam veram vult esse ac supernaturalem gratiam, illud suum initiale meritum communit. Unde tandem sic concludit: Doccant nos ergo novi Semi-pelagiani, quid de antiquis illis sentiendum sit: nimirum aliquos omnem prorsus gratiam ab initio fidei & meriti removisse; alios talem admisisse, quæ cum communis esset, locum adhuc naturali merito relinquebat; illos à Socino, & Remonstrantibus, hos ab Arminio suscitatos.*

23. Objicies primò: Innocentius X. in sua Constitutione, ut falsam & hæreticam damnavit hanc Jansenij propositionem: *Semi-pelagiani admittunt prævenientis gratiæ necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset voluntas humana resistere, vel obtemperare.* Ergo falsum & erroneum est dicere, aliquos ex Semi-pelagianis admisisse gratiam interiorem, etiam ad initium fidei.

24. Respondeo primò, hanc propositionem à Pontifice damnatam, ex duabus esse compositam, quæ conjunctione copulantur: ad falsitatem autem propositionis copulativæ satis esse, quod una ex duabus quæ illam componunt sit falsa; & consequenter ad censuræ Pontificiæ veritatem sufficere secundam esse falsam, & hæreticam. *Prima verò, cum versetur circa questionem facti, & objectum ejus sit humanum judicium, quod res humana & occulta est, ad definitionem fidei non videtur pertinere, inquit Macedo loco citato.*

25. Respondeo secundò cum eodem Authore, etiam primam propositionem potuisse subijci censuræ Pontifici: Primò quia peccat in subiecto colectivo, eo quod omnes Semi-pelagianos ita sentire dicat, cum tamen aliqui, ut ostendimus, fidei & bonæ voluntatis initium in mera natura, omni gratiâ interiori destituta, posuerint: Secundò quia etiam peccat in prædicato, cum ait prævenientem eos gratiam admisisse: nam illa gratia

A quam aliqui Semi-pelagiani admittebant, non erat verè præveniens, sed comitans tantum, ut supra diximus; quia gratia versatilis ad motum flexumque voluntatis, & ejus determinationem & motionem expectans, præveniens rectè dici non potest, sed comitans, imò & subsequens, tanquam pedissequa voluntatis. Unde ait Prosper supra relatus: *Nec considerant (Semi-pelagiani) se gratiam Dei, quam comitem non præviā humanorum voluntum esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea, SECUNDVM SVAM PHANTASIAM, non negant esse præventas.*

26. Objicies secundò: D. Prosper in Epistola ad Augustinum referens Semi-pelagianorum sententiam, sic ait: *Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ, merito credulitatis acceperint: Sed ly sponte crediderint, significat voluntatem ut natura est, & omni gratiâ destituta: Ergo Semi-pelagiani nulum pro initio fidei gratiæ interioris auxilium admittebant.*

27. Respondeo primò, hoc argumentum solum probare, aliquos Semi-pelagianos ita sensisse, non tamen omnes; subindeque non militare contra nostram sententiam, quæ fatetur aliquos ex Semi-pelagianis omnem prorsus gratiam ab initio fidei removisse.

C Respondeo secundò cum Francisco Macedo, ly sponte crediderint, non excludere gratiæ sufficientis seu concomitantis adiutorium; cum talis gratia subdita sit voluntati, & ejus motum & determinationem expectet: imò Augustinum eâ phrasi uti, cum loquitur de voluntate per gratiam efficacem mota, contra Pelagium; sic enim ait lib. 2. de peccat. meritis & remis. cap. 5. *Adjutor enim noster Deus dicitur, nec adjuvari potest, nisi qui aliquid sponte conatur.* Hoc ergo termino Semi-pelagiani apud Prosperum utebantur, quia volebant in illis fidei & bonæ voluntatis initiis, quæ admittebant, voluntatem incipere, & trahere ad se, sibi que subijcere gratiam; & quia putabant tam parvas esse hujus gratiæ vires, ut etiam si adesset, voluntati tamen operatio tribueretur, atque adeo sponte fieri diceretur, quod cum illa tantum gratia fieret. Quare nihil est ab hac D. Prosperi autoritate sententiæ nostræ timendum, nec ab alijs quæ ex eadem Epistola peti possent: nam hoc responso, seu clypeo opposito, repelluntur, imò & retorquentur omnia tela Adversariorum.

28. Ex his intelliges quod quando Semi-pelagiani dicebant apud Prosperum in Epistola ad Augustinum. *Removeri omnem industriam, tolli virtutes & merita, & fatalem quandam necessitatem induci, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates,* non intendeabant quod constitutio, seu decretum divinæ voluntatis, quamcumque gratiam internam præparans, destrueret libertatem, sed loquebantur de decreto, gratiam efficacem, qualem Augustinus in libro de correptione & gratia contra Pelagianos docuerat, præparante: hanc enim gratiam existimabant cum libero nostræ voluntatis arbitrio coherere non posse; utpote cum à gratia subdita libero arbitrio quantum ad usum & efficaciam, ejusque motionem & determinationem expectante, nulla nisi ab homine prorsus infano timeri possit umbra fari vel tenuissima, aut aliqua libertatis læsio, vel diminutio, ut de se patet.

## ARTICVLVS IV.

*Quam vim merendi tribuerint Semipelagianis initio fidei & bonæ voluntatis? an de congruo tantum, an de condigno?*

29. CERTum est Semipelagianos admisisse aliquam rationem meriti in fide, & aliis actibus, in quibus initium salutis constituebant; ut patet ex verbis Hilarij Epistolâ ad Augustinum sæpius citatâ, affirmantis convenientes eos asserere veritati, ut cum prostratis annuntiatur obtinenda salutis occasio, eo merito quo voluerint, & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis sue consequantur effectum. Et Prosper in Epistola ad eundem Augustinum dicit, ut supra vidimus, eosdem affirmasse, Vitam æternam ab illis apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. Unde solum revocatur in dubium, quam vim merendi tribuerint illis fidei & bonæ voluntatis initiis, an de condigno, vel solum de congruo?

30. In cuius difficultatis resolutione plures ex Recentioribus asserunt, eos in illis fidei & bonæ voluntatis initiis, vim merendi non solum de congruo, sed etiam de condigno admisisse. Ita Ripalda lib. 1. de ente supern. disp. 15. sect. 3. num. 16. & Egidius Coninx disp. 4. de actibus supern. dub. 5. num. 88. & sequentibus.

Alij verò, ut Suarez prologom. 5. cap. 6. dub. 7. Vazquez 1. p. disp. 89. cap. 5. Herice 1. p. disp. 25. cap. 3. Alvarez lib. 1. de auxil. disp. 2. num. 27. & Joannes à S. Thoma tomo 2. in 1. p. disp. 3. existimant eos in huiusmodi fidei & bonæ voluntatis initiis vim tantum merendi de congruo posuisse. Quæ sententia longè probabilior est; & suadetur primò ex Cassiano Semipelagianorum Coryphæo, qui lib. 12. de institutis renuntiantium cap. 14. sic habet: *Dicimus secundum Salvatoris sententiam, dari quidem petentibus, & aperiri pulsantibus, & à querentibus inveniri; sed petitionem, & inquisitionem, & pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei quod petimus dederit, vel aperuerit, cum pulsamus, vel quod querimus fecerit inveniri: præsto est enim, occasione sibi tantum à nobis bonæ voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda.* Et Collat. 13. cap. 13. *Non, inquit, videatur irrationabilis Dei munificentia largitas (nimirum per acceptionem personarum) dum eam (gratiam suam) sub colore cuiusdam desiderij ac laboris impetrat: ut nihilominus gratia Dei semper gratuita perseveret, dum exiguis quibusdam parvisque conatibus, tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona, inestimabili tribuit largitate.* Quibus locis meritum tantum imperfectum & congruum (quod & impetratorium appellari solet) tribuit actibus illis imperfectis, qui fidem perfectam & justificationem præcedunt; & meritum perfectum seu de condigno ab illis excludit.

31. Idem docebat Faustus, alter Semipelagianorum Antesignanus: nam ut refert Gennadius in ejus vita, dicere solebat, *Quidquid libertas arbitrij pro labore pia mercedis acquisierit, non esse propriè meritum, sed gratiæ donum.* Unde in Epistola ad Lucidum hæc scribit: *Quidquid de manu Domini susceperimus, donum pronuntiemus esse, non prærium; scientes laboris ipsius fructum, officij rem esse, non meritum.*

A Suadetur secundò eadem sententia ex Hilario in Epistola ad Augustinum, ferè initio, ubi Massilienses dicunt, *Non negari gratiam, si dicatur talis voluntas præcedere, quæ tantum medicum querat, non autem quidquam ipsa jam valeat.* 32.

Tercio probari potest ex Synodo Arausicana, quæ illum Semipelagianorum errorem proscribens, quo actibus imperfectis, fidem perfectam & justificationem præcedentibus, vim merendi gratiam tribuebant, sic ait: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, & pulsantibus nobis misericordiam conferri dicit, &c.* Quibus verbis Concilium apertè declarat, Semipelagianos non docuisse, gratiam ex iustitia dari credentibus, volentibus, desiderantibus, & pulsantibus, sed solum ex misericordia; nec per consequens ex aliquo merito de condigno, sed tantum de congruo. Unde tale Concilium nunquam eos reprehendit, quòd operibus naturalibus vim merendi de condigno tribuerent, sed tantum quòd facerent gratiam pedissequam naturæ. 33.

Addo quod, meritum de congruo sufficiebat principali Semipelagianorum intento, amolendi scilicet à Deo vitiosam acceptionem personarum, quam incurere existimabant, si dona suæ gratiæ inertibus, & nihil ex viribus naturæ agentibus aut conantibus daret, & ea volentibus, desiderantibus, & pulsantibus non concederet. Cur ergo illi tam magnificè de natura, & de arbitrij libertate sensissent, ut operibus naturalibus vim merendi gratiam de condigno tribuerent? præsertim cum non essent inimici gratiæ divinæ, sicut Pelagiani, sed solum vellent solvere difficultates, quæ ex Augustini doctrina, in libro de correptione & gratia tradita, emergebant, & quæ ipsis videbantur insuperabiles, nisi talis doctrina benigno aliquo temperamento emolliretur. 34.

Confirmatur: Semipelagiani bonis operibus naturalibus minus meriti, respectu gratiæ, haud dubiè concedebant, ob diversitatem ordinis, quam bonis operibus gratiæ informatis, respectu gloriæ. Ergo cum istis meritum de condigno tribuerent, illis non nisi meritum de congruo concedebant. 35.

Dices: D. Prosper contra Collatorem cap. 16. affirmat ex Semipelagianorum sententia gratiam reddi operibus naturalibus ut debitam, non verò conferri ut donum: At hoc non potest dici de merito de congruo, sed tantum de merito de condigno: Ergo Semipelagiani operibus naturalibus vim merendi de condigno primam gratiam tribuebant. Unde etiam Augustinus de prædestinatione Sanctorum cap. 2. initio, dicit eos non recessisse ab illa sententia Pelagij, damnata in Concilio Palæstino, quæ asserbat gratiam secundum merita nostra dari. 36.

E Respondeo D. Prosperum solum velle, ex Semipelagianorum sententia gratiam reddi operibus naturalibus, ut debitum ex quadam decentia & congruitate, non verò ut debitum ex stricta & rigorosa iustitia, quale ex merito perfecto & condigno resultat. Unde Faustus supra relatus dicebat, *nostri laboris fructum, officij rem esse, non meritum*: & Cassianus Deum dare gratiam, *sub colore tantum cuiusdam desiderij & laboris.* Quæ verba quandam solum congruitatem & decentiam, non verò strictum & rigorosum debitum significant, ut de se patet. 37.

Ad Augustinum dicendum est, ipsum solum velle quòd Semipelagiani eatenus non recedebant à Pelagio, quia veram rationem gratiæ destrue-

bant, sicut Pelagius, eo ipso quod dicebant, gratiam intuitu & occasione operum naturalium dari: nam ut ait Apostolus ad Roman. 11. *Si gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia: nequaquam verò intendere quod Semipelagiani, eandem rationem meriti, seu eandem vim merendi gratiam, operibus naturalibus tribuerent, quam Pelagiani: isti enim eis tribuebant vim meritoriam de condigno, illi verò tantum de congruo, ut ostensum est. Imò Pelagiani tantopere merita illa humana gratiam præcedentia extollebant, ut dicerent, Christum etiam per illa meruisse fieri Deum, seu potius illum inhabitantem in se habere. Unde Prosper in epitaphio hæresis Pelagianæ & Nestorianæ ait quod Pelagius Nestorianismum, qui Deum atque hominem in Christo dividit, præformavit. Videtur autem in tam fædum errorem lapsus, ut effugeret vim hujus argumenti, quo ab Augustino urgebatur libro de prædestinatione Sanctorum cap. 15. Respondeatur quæso, ille homo, ut à Verbo Patris coæterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecunque præcessit? &c.*

## ARTICVLVS V.

*Qui fuerint Semipelagianæ hæresis Authores, vel Sectatores præcipui?*

**A**D complementum hujus disputationis, & perfectam Semipelagianæ hæresis intelligentiam, breviter hic declarandum est, quinam fuerint ejus Authores vel sectatores præcipui.

## §. I.

*De Vitali Carthagenensi.*

39. **P**elagiani, qui teste Augustino libro 2. contra duas Epist. Pelag. cap. 5. 6. & 8. dicebant Deum non inspirare nobis boni & imperfecti operis initium & cupiditatem, nec reluctanti cordi studium virtutis immittere, ne Deus diceretur acceptor personarum; viam aperuerunt, & occasionem Massiliensibus suam hæresim publicandi dederunt. Sed ante ipsos Vitalis ille Carthagenensis, ad quem D. Augustinus scripsit Epistolam 107. videtur Semipelagianismum in Africa inchoasse: si quidem aiebat initium fidei ex libero arbitrio esse, non ex motione gratiæ, neque esse donum Dei, sed esse ex nobis, ut in eadem Epistola Augustinus declarat, his verbis: *Si ea quæ de te audio vera sint, initium fidei, uti etiam est initium bonæ, hoc est piæ voluntatis, non vis esse donum Dei, sed ex nobis nos habere contendis ut credere incipiamus: cætera autem religiose vitæ bonæ Deum per gratiam suam, jam ex fide petentibus, querentibus, pulsantibus, donare consentis. Ecce quomodo Vitalis sola initia fidei, & bonæ voluntatis dicebat esse ex nobis, cætera verò opera ex gratia Dei. Quem errorem eleganter ac nervosè ibidem confutat S. Doctor, argumento desumpto ex orationibus fidelium, qui orant Deum ut infidelium mentes ad fidem convertat, & faciat eos ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus consentientes; & gratias ei agunt, cum illos ad fidem convertit: Inaniter (inquit) & perfuntoriè potius quàm veraciter pro eis, ut doctrinæ cui adversantur credendo consentiant, Deo fundimus preces, si ad ejus non pertinet gratiam, convertere ad fidem suam ipsi fidei contrariis hominibus voluntates. Inaniter etiam & perfuntoriè potius quàm veraciter magnas cum exultatione agimus Deo gratias, quando aliqui eorum credunt, si hoc in eis ipse non facit. Non fallamus homines: nam Deum fallere non valemus. Prorsus non oramus Deum, sed orare nos fingimus, si nos ipsi non illum credimus facere quod oramus. Prorsus non gratias Deo agimus, sed nos agere fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus. Labia dolosa, si in hominum quibuscumque sermonibus sunt, saltem in orationibus non sint. Absit, ut quod facere Deum rogamus oribus & vocibus nostris, eum facere negemus cordibus nostris; & quod est gravius, ad alios etiam decipiendos, hoc non taceamus disputationibus nostris; & dum volumus apud homines defendere liberum arbitrium, apud Deum perdamus orationis auxilium, & gratiarum actionem non habeamus veram, dum veram non agnoscimus gratiam. Si verè volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus unde sit liberum: nam qui oppugnat gratiam, quæ nostrum, ad declinandum à malo, & faciendum bonum, liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse captivum.*

**B** Advertendum autem est, quod quando Vitalis dicebat, initium fidei & bonæ voluntatis ex libero arbitrio esse, non verò ex motione gratiæ, non excluderat motionem gratiæ suadentis, & moraliter excitantis, sed tantum motionem ejus physicam & applicativam; dicebat enim apud Augustinū in eadem Epistola, *Hominem posse Dei suasionem præcedente, consequente consensione, libertate naturali credere.* Quod non leve argumentum est, omnes Semipelagianos omnem prorsus gratiam internam ab initio fidei non removisse, ut supra docuimus.

## §. II.

*De Cassiano.*

**I**oannes Cassianus, Chrysostomi primum Diaconus, deinde apud Massiliam in Gallia Presbyter; qui floruit anno 440. & degebat Massiliæ tempore quo occasione libri S. Augustini de correptione & gratia, exorta est apud Massilienses magna illa turbatio, cujus supra art. 1. meminimus; fuit unus ex præcipuis Semipelagianæ hæresis sectatoribus: nam Collat. 13. cap. 7. sic ait: *Dei benignitas, cum bonæ voluntatis in nobis quantulamcumque scintillam emicuisse perspexerit, vel quam ipse tanquam de dura silice nostri cordis excusserit, confovet eam & exsuscitat.* Et cap. 8. *Cum in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emeruisse.* Item cap. 9. in fine hæc scribit: *Cum voluerit quis sanitatem perfrui, aut de agriutudinis morbo pro arbitrii sui desiderio liberatur. Quid autem prodest sanitatis gratiam concupisse, nisi Dominus, qui vitæ ipsius usum tribuit, etiam vigorem incolumitatis impertiat? Quæ verba S. Prosper libro contra Collatorem cap. 8. impugnans, ait: Docet ergo non posse hominem per semetipsum apprehendere sanitatem, sed habere eum à semetipso desiderium sanitatis, & suam tantum sponte venire ad medicum, non etiam hoc ipsum medici esse quod veniat.*

Item idem Cassianus eadem Collatione 13. duo statuit hominum genera, quorum aliquis fidem & prima bonarum voluntatum principia à Deo

C iij

Tom. IV.

accipiunt, alij verò à natura; illi impulsu gratiæ ad salutem trahuntur, isti voluntariè & sponte currunt; & nunc his, nunc illis Scripturarum testimonia applicat, quæ vel libertatem hominis asserunt, vel Dei gratiam commendant. Deinde eò usque Pelagianus est, ut non sola bonarum voluntatum initia, sed etiam admirabilem Zachæi, Centurionis, & Latronis fidem, simul cum perfectissimâ patientia Job, naturæ viribus attribuat: Sed neque in hac, neque in illa opinione diu persistit, ut colligi potest tum ex ipso Cassiano, tum ex D. Prospero, & Hilario, qui vacillasse Massilienses, & subinde mutasse suas opiniones, testantur; quòd nihil occurreret ubi mens vaga & errans conquiesceret. Unde Prosper libro contra Collatorem cap. 4. suam ei exprobrat inconstantiam, & dicit eum, definitionis suæ oblitum, citò à sententia defecisse. Quis igitur Cassiani defensionem suscipiat, quis ejus doctrinam approbet, quis fidei Catholicæ consonam asserat? Nemo, opinor, nisi Pelagiano habitu infectus sit, & Gennadium imitetur, dicentem libro de viris illustribus: *Legi librum Prosperi in personam Cassiani, sub persona Collatoris: quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nociva.*

42. Malè ergo Henricus Cuicijus annot. ad cap. 12. de instit. renunt, ubi Cassianus ait, *nostrum esse bonæ voluntatis occasionem Deo præbere, ut sua munera largiatur*, excusat eum, quasi loquatur de hominibus jam fidelibus, qui fide & auxilio gratiæ adjuti, Deo exhibent occasionem ulteriorum donorum. Nam contrarium patet ex contextu capitis secundi & sequentium.

Non valet etiam quod idem Author annot. ad cap. 8. Collationis 13. ait, nempe in eo quidem capite hæreticam doctrinam contineri; at eam à Cassiano non doceri, sed solum ex Chæremone Abbate referri. Non valet, inquam, nam repugnat D. Prosper contra Collatorem cap. 2. ubi ait, *Cassianum induxisse quemdam sacerdotalem ordinis Abbatem, de gratia Dei & libero arbitrio disferentem, cuius se ostendit per omnia probasse ac suscepisse sententiam.*

43. Item non rectè Petrus Ciaconius annot. ad eandem Collationem 13. Cassianum ab errore purgat, dicendo eum non loqui de dispositione proxima ad gratiam, sed tantum de remota, dum docet hominem ex viribus naturæ posse se disponere ad gratiam. Nam præterquam quod erroneum & Semipelagianum est, liberi arbitrij viribus tribuere dispositionem remotam ad gratiam, ex contextu Cassiani liquet, eum liberi arbitrij viribus adscribere proximam ad gratiam dispositionem.

44. Advertendum tamen est, quod licet Cassianus in materia de gratia & libero arbitrio erraverit, non fuit tamen hæreticus: quia doctrina Semipelagianorum nondum erat ab Ecclesia damnata, ut in fine libri contra Collatorem monet D. Prosper. De quo videri possunt Baronius ad annum 413. num. 27. & Ado Viennensis in Chronico anno 425.

## §. III.

De Fausto Regiensi.

45. Faustus ex Abbate Monasterij Lirinenfis, Regij, quæ Galliæ urbs est, Episcopus factus, floruit ad annum 480. medio tempore inter Prosperi & Fulgentium. Ille Pelagium damnare,

A ejusque errores refellere videri volens, revera Pelagio favisse, & Catholicam Augustini de gratia & prædestinatione sententiam refutasse compertus est. Scripsit enim omnium Semipelagianorum astutissimus duos libros de gratia & libero arbitrio, qui licet eò spectare videantur, ut simul cum gratia humanum laborem ad operandam salutem desiderari ostendatur, hoc ipsum tamen ita demonstrat, ut efficacia gratiæ, & prædestinatio gratuita, omnino evertantur, hæresisque Pelagiana, detractâ larvâ, prodeat in medium.

Ejus astutias sustulit in Africa S. Fulgentius Ruspensis Episcopus, septem libris, de quibus Isidorus libro de viris illustribus cap. 14. ait: *Legimus de gratia Dei & libero arbitrio Fulgentij libros responsum septem, Fausto Gallia Regiensi urbis Episcopo. Pelagiana pravitate consentienti, respondentis: obmittitur ejus profandam destruere calliditatem.* 46.

Contra eundem Faustum disertissimè scripsit Avitus Viennensis Episcopus, cujus meminit ejusdem Ecclesiæ Episcopus Ado, in Chronico, anno Domini 492. cum de Fausto agit, his verbis: *Faustus ex Abbate Lirinenfis Monasterij, apud Regium Galliæ Episcopus factus, Pelagianum dogma destruere conatus, in errorem labitur: unde qui ejus sensus in hac parte catholicos prædicant (sicut Gennadius de illustribus viris scribens) omnino errant. Ita enim liberum arbitrium tam Augustinus quàm ceteri Catholici in Ecclesia Dei docent, ut illuminatio, virtus, & salus illi à Christo, & per Christum, & cum Christo sit: Faustus verò iste ita liberum arbitrium docere conatur, ut illuminatio ejus, virtus, & salus, non à Christo, sed à natura sit. Contra hunc scribit lucidissimâ fide Avitus Viennensis Episcopus, ejus redarguens errorem, similiter & Joannes vir eruditus, Antiochenus Presbyter.* 47.

Similiter etiam Petrus Diaconus libro de Incarnatione & gratia, qui extat inter opera Fulgentij cap. ultimo, anathematizat libros Fausti Galliarum Episcopi, quia humano labori subjungit gratiæ adjutorium. Præ alijs verò Joannes Maxentius Scythiæ monachus, qui vixit ad annum 520. tempore S. Hormisdæ Papæ, & cujus opera extant tomo 4. Bibliothecæ Patrum, Fausti libros de gratia insectatur, in responsione ad Epistolam dicti Hormisdæ ad Possessorem Africanum Episcopum: De quo Baronius anno 520. num. 22. Unde prudens & notatu digna est hujus piissimi & doctissimi Cardinalis admonitio, tomo 6. anno Domini 498. ubi sic ait: *Cum igitur Fausti sententia ubique ab Ecclesia Catholica fuerit contradictum, videant quanto periculo quidam ex Recentioribus, dum in Novatores insurgunt, ut eos confutent, à Sancti Augustini sententia de prædestinatione recedunt, cum alioqui arma non desint, quibus Hæretici profiguntur.* 48.

## §. IV.

De Gennadio.

Gennadius Massiliensis Presbyter, qui vixit 49. tempore Gelasij Papæ ad annum 490. Semipelagianis adhæsisse, & de ipsorum secta fuisse creditur: siquidem libro de viris illustribus Cassianum & Faustum laudat, eorumque de gratia sententiam, Prosperi doctrinam anteponebat, Rufinum Aquileiensem Presbyterum, Pelagij Præcursores, ac Pelagianæ hæresis Architectum

(à quo, ut suprà vidimus, se audivisse non traduci peccatum originale, affirmavit Celestius) Hieronymo præfert: ideoque Gelasius Papa opera ejus inter Apocryphos libros rejicit. Hinc Baronius anno 431. num. 28. Gennadium ait ejusdem esse farinae cum Cassiano; & anno 490. num. 45. fuisse unum è Presbyteris Gallicanis, de quibus Prosper & Hilarius apud Celestinum Papam conquesti sunt, quòd Augustini doctrinæ adversarentur; sed addit ipsum Gelasij operà respicuisse, & ad Episcopatum Massiliensem assumptum fuisse, & orthodoxum ac Catholicum è vivis abiisse.

## §. V.

De Severo Sulpitio.

50. **P**lures etiam existimant, Severum Sulpitium, Sancti Martini, cujus vitam scripsit, Discipulum, ac S. Paulino, Nolano Episcopo, amicitia conjunctissimum, Massiliensis erroris fermento vitiatum fuisse: quia Gennadius libro de viris illustribus cap. 19. hæc scribit: *Severus Presbyter, cognomento Sulpitius, vir genere & litteris nobilis, & paupertatis, ac humilitatis amore conspicuus: & in fine, post enumeratas ejus lubricationes, ista subdit: Hic in senectute sua à Pelagianis deceptus, & agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit; ut peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret.* Subscribit Baronius anno 431. num. 189. Gennadiumque sic interpretatur, ut velit Severum, non omnibus Pelagij placitis adhæsisse, sed iis tantum quæ Massilienses recipiebant. At refragatur Guibertus Abbas, in compendio Apologiæ pro Severo, ubi ait: *Nunquam nisi in Gennadio legi Severum à Pelagianis seductum, qui nescio urum hoc ipse alicubi legerit, an ex sola fama, quæ facta infestaque docet, didicerit.* Ut ut sit, constat Severum Orthodoxum, & Catholicum obiisse: nam in Martyrologio Romano die 29. Januarij in Sanctorum canonem refertur, & virtutibus ac eruditione conspicuus dicitur.

Hunc aliqui dicunt fuisse Episcopum Bituricensem, quia Guibertus citatus, qui pro eo Apologiam scripsit, ipsum Archiepiscopum Bituricensem appellat. Sed hoc alij negant, cum Baronio citato, ubi sic ait: *Neminem reperi antiquorum, qui hunc Severum de quo est sermo, Episcopum nominet, verum tantummodo Presbyterum, sicut & Honorius retexens Catalogum clarorum virorum.* Et sanè Gennadius Massiliensis, sui temporis res gestas scribens, libro suprà citato, non nisi Presbyterum eum nominat, & in eo ordine penitentem esse defunctum ait.

## §. VI.

De Joanne Chrysostomo.

51. **V**azquez 1. p. disp. 91. cap. 8. omnes ingenij vires intendit, ut ostendat Chrysostomum & alios ex Patribus Græcis, in errorem Semipelagianorum esse lapsos, atque Cassianum Chrysostomi discipulum, errorem suprà relatum, quem habet collat. 13. à suo magistro didicisse asserit. Et capite sequenti plures affert Theologorum interpretationes, quibus Chrysostomi testimonia, quæ Semipelagianis favere videntur, conantur exponere, & in Catholicum sensum pertrahere; quas omnes parvipendet, & to-

52. **A**tis viribus conatur evertere.

Sed ab hoc errore, seu potius calumnia, rectè Chrysostomum vindicat noster Sixtus Senensis, libro 5. Bibliothecæ annotat. 101. ubi ait Joannem Oecolampadium, Lutherana hæresis professorem, hunc errorem ei primò imposuisse; pluraque adducit hujus sancti Doctoris testimonia, quibus apertè gratiam prævenientem admittit, ac docet nostræ fidei & salutis exordia, à gratia, non verò à nuda natura procedere. Istud, quod habet tomo 1. homil. de Adam & Eva, celebre est: *Omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur Authorem, & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominū merita provenire, per quam etiam sit ut aliquid boni & velle incipiamus & facere.* Vide quæ diximus in Tractatu de prædestinatione disp. secundà art. 3. §. 6. pro defensione hujus sancti Doctoris, quem Anastasius 7. Hexam. *Christi fluvium*: Theodoretus Dialog. 1. *Magnum orbis lumen, admiratione dignissimum Doctorem*: Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. 42. *Ecclesiarum omnium oculum*; & denique Innocentius 1. Epist. 30. *Mellitam Constantinopolitanæ Ecclesiæ linguam*, appellavit.

## §. VII.

De Vincentio Lyrinensi.

53. **V**incentium Lyrinensem Cassiani contemporaneum, & in Cænobio Lyrinensi insulæ monachum, aliqui putant eum esse, cui responderet Prosper in libro ad objectiones Vincentianas, adeoque Massiliensis factionis halitu inspiratum fuisse. Sed iniqua hæc suspicio est: cū hic Vincentius in opusculo contra phanas vocum novitates, cap. 34. vehementer arguat Pelagium, quòd necessitatem gratiæ juvantis nos in singulis actibus negaverit; & capite ultimo Epistolam Cælestini Papæ adversus Semipelagianos cum veneratione recipiat. Addo quod Gennadius hinc ei nævum non appingit, sed validissimum contra hæreticos Athletam fuisse memorat. Unde Baronius ad annum 431. num. 188. verè tradit, Vincentium in quem scripsit Prosper, fuisse alium ejusdem nominis.

## ARTICVLVS VI.

Canones secundi Concilij Arausiacani contra Semipelagianos.

54. **C**oncilium hoc à B. Cæsario Arelateni Episcopo indictum est, cū videret Fausti & aliorum Semipelagianorum errores in Gallia propagari, librosque Fausti avidissimè appeti, atque in illis concinnas ad persuadendum, acutæque sententias contineri. Unde in urbe Arausicana congregatis Episcopis, ipse qui Concilio præerat dicere exorsus est.

*Cum ad dedicationem Basilicæ, quam illustrissimus præfatus & Patricius filius noster Liberius in Arausicana civitate fidelissimā devotione cōstruxit, Deo propitiante & ipso invitante convenissemus, & de rebus quæ ad Ecclesiasticam regulam pertinent, inter nos fuisset spiritualis oborta collatio: pervenit ad nos, esse aliquos qui de gratiæ & libero arbitrio minus cautè & non secundum fidei Catholicæ regulam sentire velint. Unde & vo-*

his secundum auctoritatem & admonitionem Sedis Apostolicæ, iustum & rationabile visum est, ut pauca capitula ab Apostolica nobis Sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de certis scripturarum voluminibus in hac præcipuè causa collata sunt, ad docendos eos qui aliter quam oportet sentiunt, ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus. Quibus lectis, sequentes Canones, ad proscribendos Semipelagianorum errores, & veritatem Catholicam confirmandam, condiderunt.

## CANON I.

De gratia & libero arbitrio.

55. Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est, secundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illasæ durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus, adversatur Scripturæ dicenti (Ezech. 18.) *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et (Rom. 6.) *Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis?* Et (2. Petri 2.) *A quo quis superatur, ejus & servus ad dicitur.*

## CANON II.

Quod prævaricatio Adæ omnes infecerit.

56. Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non & ejus propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantum corporis (quæ pœna peccati est, non autem & peccatum quod mors est animæ,) per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti (Rom. 5.) *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

## CANON III.

De gratia Dei.

57. Si quis invocatione humanâ gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ (cap. 65.) vel Apostolo idem dicenti (Rom. 10.) *Inventus sum à non querentibus me; palam apparui his qui me non interrogabant.*

## CANON IV.

De purgatione peccati.

58. Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nobis fieri confiteatur, resistit ipsi Spiritui Sancto, per Salomonem dicenti (Proverb. 8.) *Præparatur voluntas à Domino:* & Apostolo salubriter prædicanti (Philipp. 2.) *Deus est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.*

## CANON V.

Quod ad fidem & regenerationem baptismatis per gratia donum perveniamus.

Si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum quo in eum credimus qui iustificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente (Philip. 8.) *Confidimus quia qui cepit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi.* Et illud (ibidem) *Vobis datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Et [Ephes. 2.] *Gratiâ salvi facti estis per fidem, non ex vobis, Dei enim donum est.* Qui enim fidem quâ in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt.

## CANON VI.

Quod gratiâ Dei sumus id quod sumus.

Si quis sine gratia Dei, credentibus, volentibus, desiderantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis, misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem & inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adiutorium, nec ut obediētes & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti (1. Cor. 4.) *Quid habes quod non accepisti?* Et (ibidem cap. 15.) *Gratiâ Dei sum id quod sum.*

## CANON VII.

Quod non sumus idonei cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.

Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consensiendo & credendo veritati, hæretico fallitur spiritui, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis (Joan. 15.) *Sine me nihil potestis facere.* Et illud Apostoli (2. Cor. 3.) *Non quod idonei sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

## CANON VIII.

Nemo per semetipsum salutis æternæ mysterium potest conquirere.

Si quis alios misericordia, alios verò per liberum arbitrium (quod in omnibus qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum) ad Gratiâ baptismi posse venire contendit, à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum, aut certè ita lasum putat, ut tamen quidam valeant sine revelatione Dei mysterium salutis æternæ per semetipsos conquirere. Quod

Quod quàm sit contrariū, ipse Dominus (Joan. 6.) probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur, nisi quem Pater attraxerit. Sicut & Petro dicit (Matth. 16.) *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in caelis est.* Et Apostolus (1. Cor. 12.) *Nemo potest dicere Dominum Jesum Christum, nisi in Spiritu sancto.*

## CANON IX.

*De adjutorio Dei.*

63. Divini est muneris, cū & rectē cogitamus, & pedes nostros a falsitate & injustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.

## CANON X.

*De eodem.*

64. Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.

## CANON XI.

*De obligatione votorum.*

65. Nemo quidquam Domino rectē voverit, nisi ab illo acceperit, sicut legitur (1. Par. 29.) *Quae de manu tua accepimus, damus tibi.*

## CANON XII.

*Quales nos diligit Deus.*

66. Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.

## CANON XIII.

*De reparatione liberi arbitrii.*

67. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari, quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Unde ipsa veritas dicit (Joan. 8.) *Si vos Filium liberaveritis, tunc verē liberi eritis.*

## CANON XIV.

*De misericordia Dei.*

68. Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordiā praevenitur, sicut dicit Psalmista (Psalm. 8.) *Cito anticipet nos misericordia tua Domine.* Et illud (Psalm. 8.) *Deus Deus meus, misericordia ejus praeveniet me.*

## CANON XV.

*De mutatione praevaricationis Adae.*

69. Ab eo quod formavit Deus mutatur Adam, sed in peius per iniquitatem suam: ab eo quod operata est iniquitas mutatur fidelis, sed in melius per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit praevaricationis primi, haec secundum Psalmistam (Psalm. 76) *mutatio dexterae Excelsi.*

## CANON XVI.

*Quod nemo gloriatur de substantia sua.*

70. Nemo ex eo quod videtur habere, gloriatur, tanquam non acceperit, aut ideo se putet accepisse, quia litera extrinsecus, vel ut legeretur, *Tom. IV.*

A apparuit, vel ut audiretur, insonuit. Nam sicut Apostolus dicit (Gal. 2.) *Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Porro autem si non gratis mortuus est: Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Inde habet, quicumque habet. Quisquis autem inde se habere negat, aut verē non habet, aut quod habet auferetur ab eo.

## CANON XVII.

*De fortitudine Christiana.*

Fortitudinem Gentilium, mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum, Dei charitas facit, quae diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, nullis meritis gratiam praevientibus.

## CANON XVIII.

*De mercede boni operis.*

Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia quae non debetur, praecedit ut fiant.

## CANON XIX.

*Neminem nisi miserante Deo salvari.*

Natura humana, etiam si in illa integritate in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?

## CANON XX.

*Nihil boni hominem posse sine Deo.*

Multa in homine bona fiunt, quae non facit homo. Nulla verò facit homo bona, quae non Deus praestet, ut faciat homo.

## CANON XXI.

*De natura & gratia.*

Sicut eis qui volentes in lege justificari & à gratia exciderunt, verissime dicit Apostolus (Gal. 2.) *Si ex lege justitia est, ergo Christus gratis mortuus est:* sic & his, qui gratiam quam commendat & percipit fides Christi, putant esse naturam, verissime dicitur: *Si ex natura justitia, ergo Christus gratis mortuus est:* jam hic enim erat lex, & non justificabat; jam hic erat & natura, & non justificabat. Ideo Christus non gratis mortuus est, ut & lex per illum impleretur, qui dixit (Matt. 5.) *Non veni legem solvere, sed adimplere:* & natura per Adam perditam, per illum repararetur, qui dixit (Luc. 19.) *venisse se quaerere & salvare quod perierat.*

## CANON XXII.

*De his quae hominum propria sunt.*

Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque justitiae, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati, non deficiamus in via.

## CANON XXIII.

*De voluntate Dei & hominis.*

Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, *D*

quando id agunt quod volunt, ut divinæ serviant voluntati, quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est, à quo præparatur & jubetur quod volunt.

## CANON XXIV.

## De palmitibus vitis.

78. Ita sunt in vite palmitibus, ut viti nihil conferant, sed inde accipiant unde vivant. Sic quippe vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christum & manere in Christo, Discipulis prodest, & non Christo. Nam præciso palmitē, potest de viva radice alius pullulare. Qui autem præcisus est, non potest sine radice vivere.

## CANON XXV.

## De dilectione quā diligimus Deum.

79. Prorsus donum Dei est diligere Deum. Ipse ut diligeretur, dedit, qui non dilectus dilexit. Displicentes amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffundit enim charitatem in cordibus nostris Spiritus Patris & Filij, quem cum Patre amamus & Filio. Ac sic secundum supra scriptas sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante & prædicare debemus & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenierit. Unde Abel iusto, & Noë, & Abraham, & Isaac, & Jacob, omnique antiquorum sanctorum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipsorum laudem prædicat Apostolus Paulus (Heb. 11.) non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam: quam gratiam, etiam post adventum Domini, omnibus qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio habere, sed in Christi novimus simul & credimus largitate conferri, secundum illud quod jam supra dictum est, & prædicat Paulus Apostolus (Philipp. 1.) *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Et illud (Ephes. 2.) *Deum qui caput in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri.* Et illud

A (1. Timoth. 1.) *Gratiā salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Et quod de seipso ait Apostolus: *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem.* Non dixit, quia eram, sed ut essem. Et illud (1. Cor. 4.) *Quid habes quod non accepisti?* Et illud (Jacobi 1.) *Omne datum bonum, & omne donum perfectum, de sursum est, descendens à Patre luminum.* Et illud (Joan. 3.) *Nemo habet quidquam boni, nisi illud illi datum fuerit de super.* Innumerabilia sunt sanctarum Scripturarum testimonia, quæ possint ad probandam gratiam proferri, sed brevitate studio prætermittamur: quia & revera cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt. Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum divinā potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam, si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Hoc etiam salubriter profiteamur & credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamus, sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat, ut & baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adjutorio, ea quæ sibi sunt placita, implere possimus. Unde manifestissime credendum est, quod & illius Latronis quem Dominus ad Paradisi patriam revocavit, & Cornelij Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachari, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides, non fuit de natura, sed divinæ largitatis donum.

Agendum hic esset de erroribus Lutheranorum & Calvinistarum in materia de gratia & libero arbitrio. Sed de hoc fusc egimus in Apologia Thomistarum, Tractatu de scientia Dei inserta: ibi enim præcipua Lutheranorum & Calvinistarum dogmata exposuimus, & quam magnum chaos inter Calvinistarum & Thomistarum doctrinam firmatum sit, ibidem ostendimus. Unde ad hunc Tractatum Lectorem remittimus, ut ibi perspicue videre possit, quam leviter & inconsideratè, Recentiores quidam Calvinismum aut Jansenismum Thomistis asstant.

